De epistulis a M. Tullio Cicerone anno a. Chr. n. LIV. scriptis.

Commentatio philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum physicorumque ordinis in alma litterarum universitate regia Monasteriensi ad summos in philosophia honores rite consequendos

scripsit

Matthias Kapelle
Rhenanus.

Lipsiae
Typis Roberti Noske Bornensis
MCMVI.

De hac commentatione ad ordinem rettulit

P. E. Sonnenburg.

PARENTIBUS MEIS

S.

Index capitum.

Pars. I.

De epistulis ad Quintum fratrem datis.

A. De Quinti Ciceronis itinere anno a. Chr. n. LIV. ineunte ad Caesarem facto.

Quamquam qui de M. Tulli Ciceronis epistulis commentati sunt multa de Quinti Ciceronis itinere anno a. Chr. n. LIV. ad Caesarem facto protulerunt, ut de ea re denuo scribere supervacaneum esse videatur, praesertim cum Rauschen[1]) de certis huius rei rationionibus statuendis omnino desperandum esse docuerit, tamen cum accurate exploratam non esse rem vidissem, de integro ad eam accedere institui. Neque de omnibus, quae de Quinti itinere adhuc scripta sunt, huius loci est disserere singillatim, sed in medias res ut ita dicam progrediar.

Ac prima difficultas est de tempore, quo Quintus Roma discesserit. De qua ut diiudicem, antea verba a Marco ad Atticum scripta: *Vestorius noster me per litteras facit certiorem te Roma a. d. VI. Id. Maias* + *putare profectum esse tardius, quam dixeras, quod minus valuisses.* (IV 14, 1) interpretanda sunt. Atque dubitatio, quae est de codicum scriptura *putare,* cui alii alio modo medebantur[2]) ad hanc quaestionem nullius est momenti; primumque ex illis verbis cognoscimus haec. Cum Atticus a. d. VI. Idus Maias Roma proficisceretur vel profectus esse diceretur, Marcus non Romae, sed, ut epistula quae est Qu. fr. II 12. constat, in Cumano vel Pompeiano erat. Deinde Atticus quibusdam diebus

[1]) Ephemerides Tullianae, Bonnae, 1886 p. 53.

[2]) cf. C. F. W. Mueller, M. Tulli Ciceronis scripta, part. III. vol. 1 adnot. crit. p. XXXVII.

ante hunc diem — arbitrio statuimus Non. Mai. — profecturum se esse speraverat. Ac ne hoc quidem die Marcus Romae erat, quia, si fuisset, Atticum valetudinis causa iter reiecisse ipse scivisset neque Vestorium id scribere opus fuisset, sed antea discesserat, quo tempore Atticus se illis Nonis Roma abiturum esse dixerat; scriptum enim est modo indicativo: *tardius, quam dixeras.* Quamquam, quo die Atticus iter faciendum reiecerit, incertum est, tamen in primum mensem Maium duci videmur; qua re efficitur, ut Marcus circa Kalendas fere Maias discesserit Roma.

Deinde, quo tempore frater eius profectus sit, haec verba indicio sunt: *Duas adhuc a te accepi epistulas, quarum alteram in ipso discessu nostro, alteram Arimino datam* .... (Qu. fr. II 12, 1). Verbumque *nostro* de Marci solius discessu dictum esse patet, quia absurdum est putare et Marcum Quintumque eodem die Roma discessisse et Marcum eo ipso die litteras a fratre iam accepisse. Immo Quintus, cum Marcus abiit Roma, aliquantum temporis profectus erat. Atqui Marcus circa Kalendas Maias abiit; ergo Quinti profectio ante hoc tempus fuit i. e. extremo saltem mense Aprili. Quapropter Koerneri[1]) sententiam, quae est de Quinto primo mense Maio profecto, ut probem, a me impetrare non possum. Minusque probo, qui de ipso mense Martio cogitaverunt, ut Frey[2]) aliique.

Certam huius rei diiudicandae ansam ne epistula quidem quae est Qu. fr. II 12. habemus, quia, quando data sit e Cumano vel Pompeiano, reperire non possumus. Sed haud scio an hac ratione melius ad eum finem perveniamus. Scriptum enim videmus proxima epistula ad Quintum (II 13) data: *A. d. IV. Non. Jun., quo die Romam veni, accepi tuas litteras datas Placentia, deinde alteras postridie, datas* † *Blaudenonne cum Caesaris litteris refertis omni officio, diligentia, suavitate* (c. 1). Marcus igitur alteram epistulam a. d. III. Non. Jun. accepit; neque enim dubitari posse puto, quin post verbum *postridie,* ut Tyrrell et Purser[3]) recte

---

[1]) De epistulis a Cicerone post reditum usque ad finem anni a. u. c. 700 datis quaestiones chronologicae. 1885 p. 40.

[2]) Ausgewählte Briefe, Leipzig, 1893[5]. p. 10.

[3]) The correspondence of M. Tullius Cicero, vol. II 1886, p. 123.

fecerunt, interpungendum sit, quia difficultates, de quibus infra disseram, valde augerentur, si litteras alteras postridie, quam superiores Placentia datae sunt, putaremus missas; quae litterae alterae, e loco quodam datae sunt, qui in codicibus casu ablativo scriptus est *Blandenonne* atque, cum epistula superior, quae data est Placentia, Romae pridie redderetur, illum locum obscurum prope Placentiam situm esse viri docti concluserunt.[1]) Itaque alii coniecerunt de Laude Pompeia, quam opinionem alii reprobaverunt. Scriptura sane corrupta videtur esse; neque enim ullum eiusmodi nomen scriptores veteres prodiderunt. Neque de scriptura solum dubitandum est, verum etiam cur Caesar ignotissimo loco prope Placentiam sito Quintum convenerit; quae tamen difficultas nescio an minuatur, si litteras Placentia datas sero allatas esse censemus, ita ut aliquanto ante proximas scriptas eas esse censeamus, locumque illum ignotum longiore spatio a Placentia abesse.

Tres tamen restant praeterea dubitationes ac prima, quod Marcus Quinti epistulam Placentia datam reapse nostra exspectatione serius, a. d. IV. Non. Jun., accepit. Iis enim, quae supra demontravimus, constare videtur Quintum circa Kalendas Maias aut exeunte mense Aprili Roma discessisse. Unde amplius triginta diebus opus fuisset, ut Quintus Roma Placentiam perveniret et inde litterae Romam perferrentur. Facileque computare licet Quintum, si Kal. Mai. Roma profectus sit, post duodecimum certe diem Placentiam venire potuisse; quare litterae eius multo ante eum diem, qui fuit a. d. IV. Non. Jun., Romae reddendae erant. Cuius difficultatis tollendae causa Koerner loco quodam inter Placentiam et Ariminum posito Quintum aliquantum temporis commoratum esse statuit: *Quintus, ut diximus, ineunte mense Maio ad Caesarem se contulerat; epistulam Arimino paulo ante Idus Maias dederat; quas Tullius Placentia datas a. d. IV. Non. Iun. accepit litteras, fere a. d. VII. Kal. Iun. erant scriptae; quapropter sive Arimini sive Placentiae sive loco quodam interiecto illum longius temporis spatium commoratum esse apparet. Quando autem et ubi ad Caesarem*

[1]) ut Tyrell et Purser l. s. adnot.

pervenerit, incertum; crediderim tamen Placentiae, cum Caesarem non multo post Quinti adventum litteras illas dedisse appareat neque tamen diu adhuc cum illo versatum esse, quod tum sane una cum Quinti litteris prioribus suas Romam misisset (p. 41—42). Sed eam explicationem, quae nullo epistularum loco confirmatur, levissimam esse nemo non videt. Rectius enim opinamur epistulam a Quinto Placentiae scriptam non ipso adventus tempore inde perlatam esse, sed aliquanto temporis post. Nam re ipsa mirum esset, si eodem die, quo Quintus Placentiam advenit, tabellarius praesto fuisset, qui litteras Romam perferret; sine dubio Quintus servos tabellarios ipse secum non habebat, sed aut familiaribus, si quos in illis oppidis habuit, litteras dedit inde perferendas; itaque morae facile oriri poterant, quia familiaribus tabellarios statim Romam mittendos raro fuisse credibile est; aut in mansiones, quo tabellarii e Gallia Romam proficiscentes devertebantur, eas tulit, ut, si quis abiret, una portaret. Alias enim vix fuisse mittendi rationes puto; quare facile fieri poterat, ut epistulae aut aliquamdiu retinerentur, aut omnino neglegerentur, cuius rei verum cognoscimus exemplum his verbis: *Duas adhuc a te accepi epistulas: earum alteram in ipso discessu nostro, alteram Arimino datam; plures, quas scribis te dedisse, non acceperam* (Qu. fr. II 12,1). Qui enim fieri poterat, si Quintus litteras suas tabellariis statim proficiscentibus tradidisset, ut plures, quae ex variis locis videntur datae esse, Romae non redderentur? Itaque facile intellegitur, cur litterae Placentia sero Romam perlatae sint.

Alteram rationem non minus probabilem hanc esse puto. Quod Cicero scripsit: *A. d. IV. Non. Iun., quo Romam veni, accepi, tuas litteras datas Placentia,* non cogimur, ut interpretemur tabellarios eo ipso die advenisse, sed optime videtur sententia stare, si Marcum eas tum, cum venit, a domesticis accepisse opinamur; antea enim a tabellariis redditas, a domesticis autem usque ad Ciceronis adventum retentas eas esse credibile est, sive quod tabellarii, qui in villas perferrent litteras, iis non fuerunt, sive quod de proximo Ciceronis adventu certiores facti erant.

Atqui his duabus rationibus, cur epistulae et sero Romam perlatae et sero a Marco acceptae sint, satis explicatur; ergo

locum illum, quo Quintus et Caesar congressi sunt, prope Placentiam quaerere minime opus est.

Neque altera difficultas sublata est. Si enim ille locus obscurus in Gallia cisalpina situs erat, mirandum est, quod Caesar mense Maio nondum apud exercitum, sed in Italia superiore fuit, quique de ea re scripserunt, ut Napoleo [1]) et Bergk,[2]) iure offendebantur, ut alter alteram explicationem proferret; putavit enim Bergk Ciceroni, cum ex Cumano Romam revertisset, litteras (Qu. fr. II 13, 1) redditas esse a. d. VII et VI. Id. Maias anni Juliani, Caesaremque Alpes superasse prid. Id. Mai. vel paucis diebus ante. Sed ipse quo loco res a Caesare ante bellum Britannicum gestas temporis ratione disponit, in angustias adducitur,[3]) praeterquam quod Caesarem ante illum anni Iuliani diem, qui fuit XI. Iunii, in portum Itium venisse infra (p. 41—42) videbimus. Praeterea Caesaris interfuisse veri simile est quam primum in Britanniam traicere. Si autem eius et Quinti litterae extremo mense Maio e cisalpina datae sunt, Caesar ineunte Iunio in transalpinam pervenit; conventibus igitur Gallicis, itinere Illyrico, reditu ad exercitum (bell. g. V 1 et 2) altera huius anni pars consumpta iam erat; deinde omnia hiberna circumiit (c. 2 et 3), cum IV legionibus expeditis ad Treveros discessit (c. 3), in portum Itium omnibus copiis coactis revertit; atqui, ut supra scripsi, extremo mense Iunio ibi eum iam fuisse probare licet; ergo illae res omnes minimo temporis spatio contrahendae sunt. Neque tollitur difficultas, si menses anni LIV. ad Iulianos fastos redigimus, ita ut mensis Iunius cum Maio fere anni Juliani conveniat.[4])

Tertia denique difficultas, quam nondum animadverterunt viri docti, haec est. Apud Caesarem enim, cum Quintus cum eo congressus est, Trebatius aliorumque invenum multitudo erat, quia scriptum est: *Trebatium quod ad se miserim, persalse et humaniter etiam gratias mihi agit. Negat enim in tanta multitudine*

---

[1]) histoire de Jules César, 1866, p. 199, adnot. 2.

[2]) Jahrb. f. kl. Philologie v. Fleckeisen, suppl. 13.

[3]) p. 621.

[4]) Holzapfel, Rõm. Chronologie p. 222; Caes. bell. g. ed. Kraner, Berolini 1890.[15] p. 192, adnot. 1; p. 209 adnot. 2.

eorum, qui una essent, quemquam fuisse, qui vadimonium concipere posset (Qu. fr. II 13, 3). Atqui nullo loco Trebatium una cum Quinto profectum esse cognoscimus, immo eum aliquanto temporis, priusquam Quintus veniret, apud Caesarem fuisse infra (p. 44—45) docebo; ergo quaeritur, utrum Caesar illam iuvenum multitudinem in cisalpina ipsa secum habuerit et una in transalpinam Galliam profectus sit, an eam in transalpina demum convenerit. Neque dubito, quin Caesar cum ea nisi Alpibus superatis non congressus sit.

Quibus omnibus de causis in corrupto illo nomine *Blandenonne* aliquo modo nomen oppidi transalpini velut *Andematunnum* latere equidem conicio. In illa autem epistula scribendum est casu ablativo *Andematunno.* Ac primum quidem nominis *Blandenonne* maior litterarum pars similitudinem quandam habet cum nomine *Andematunno,* praeter illas litteras primas *Bl*, quae, quo modo ortae sint, dicere non possum. Deinde Andematunnum oppidum proximum est a Belgica et prope illam viam sita, quae fuit a Placentia, per Alpes Cottias, praeter Rhodanum et Ararim fluvios, in Belgicam. Qua via homines Romani in Galliam et Belgicam proficiscentes uti solebant Caesaris aetate [1]); a Cavillunno ad Ararim fluvium sito duae viae divertebantur, altera ad Bibracte, qua plerumque eos, qui portum Itium petebant, profectos esse veri simile est [2]), altera recta usque ad Andematunnum ferens. Praeterea a Bibracte via erat usque ad Andematunnum [3]). Rem igitur sic se habuisse puto. Caesar iuvenes, quarum familiaritate utebatur, Bibracte sive Augustodunum, quo hieme ventitabat [4]), congregaverat, unde abierat ad exercitum et Andematunni forte Quintum convenit aut in hoc oppido per maius temporis spatium iam antea moratus est; litteraeque eius et Quinti inde videntur datae esse.

Quae si ita sunt, quo tempore congressi sint, facilius statuitur. Andematunnum enim a Roma abest circa MXL milibus

---

1) Nissen, ital. Landesk. vol. I p. 156, 157—58; itin. Anton. p. 169 bis 171.

2) itin. Ant. p. 171.

3) Kiepert, atlas antiqu. tab. XI.

4) Kraner p. 380.

(cf. infra). Atqui Caesaris tabellarii, quorum celeritatem satis cognoscimus ex Ciceronis epistulis [1] — consumebant enim itinere Britannico XXVIII fere dies —, a. d. III. Non. Iun. Romam advenerunt (Qu. fr. II 13, 1); ergo, si diei itinere circa XLV milia proficiscebantur [2]), ante vicesimum fere tertium diem, circa a. d. V. Id. Mai. Andematunno abierant. Sequitur, ut Quintus eo ipso tempore, circa a. d. V. Id. Mai., Caesarem convenerit, atque Caesar ad hiberna omnia adeunda et in Treverorum fines proficiscendum satis temporis habuerit.

Quibus explicatis, quando Placentiae, Arimini fuerit, Roma discesserit Quintus, ut cognoscamus, retro eundum est; atque ut res clarius videatur, hac ratione utar:

tempus	iter	milia	itin. Ant.
Id. April. — XII. Kal. Mai.	a Roma — Ariminum	216	p. 58
XII. Kal.Mai.—VII.Kal. Mai.	ab Arimino — Placentiam	177	p. 60
VII. Kal. Mai.—V. Id. Mai.	a Placentia—Andematunnum	circa 647	p. 170/71 p. 60

Profectionis igitur diem Idus Apriles adventusque a. d. V. Id. Mai. fuisse statui, Quintum igitur vicesimo septimo die cum Caesare congressum esse. Nemo hanc totam rationem certam esse credet; neque enim certo constat, quoto die Caesaris tabellarii Andematunno profecti sint, quotque dies Quinto ad iter faciendum opus fuerint ac ne de ipso quidem oppido Andematunno certo adfirmare licet. Tamen Quintum ante Idus Apriles Roma non discessisse satis clarum est,

Videamus nunc, quando epistula quae est Qu. fr. II 12. a Marco scripta sit. Binas enim accepit Cicero litteras, prioresque in ipsa Roma, cum discessurus esset, alteras autem Arimino datas in Cumano vel Pompeiano. Secundum rationem supra institutam Quintus circa a. d. XII. Kal. Mai. Ariminum venit; quare, quas inde dedit litteras, si statim perlatae sunt, quinto fere die

[1]) Qu. fr. III 1, 13; 1, 25.

[2]) O. E. Schmidt, Der Briefwechsel des M. Tullius Cicero, Leipzig 1893 p. 201, 379.

reddi poterant. Sed num revera statim perlatae sint, omnino incertum est; aliquot dies tabellariorum commoratione facile praetermissi sunt, ita ut paulo ante Kalendas Maias Romae redderentur. Marcus tum iam discesserat, quoniam in villa eas accepit. Quapropter Marci discessum extremo mense Aprili, paulo ante Kalendas Maias fuisse quominus censeamus, non impedimur; supra (pag. 2) iam ad Kal. Mai. ducti sumus. Certe illae litterae primo mense Maio a Marco acceptae sunt; certum diem explorare non possumus, quia, quoto die Ciceronis domestici tabellarium litteras ad Marcum ferentem invenerint, nihil constat. His igitur omnibus morae oriri poterant. Cicero quidem ipse de tabellariorum inopia, cum e Cumano vel Pompeiano scriberet, fratri se excusavit: *Ego cum Romam venero, nullum praetermittam Caesaris tabellarium, cui litteras ad te non dem. His diebus — ignoscas — cui darem, fuit nemo ante hunc M. Orfium, equitem Romanum* (II 12, 3). Itaque incertum est, quando M. Orfio illam epistulam II 12. dederit; neque eam extremo mense Maio datam esse, ut Rauschen putavit (p. 53), inde concludo, quod M. Orfio ad Caesarem proficiscenti eam dedit. Vix enim creditur illum equitem, cum esset tribunus militum in Caesaris exercitu (II 12, 3), mensis fere spatio post Quintum ex Italia inferiore ad exercitum Belgicum profectum esse, immo primo mense Maio eum abisse rectius opinamur.

Restat, ut paucis investigem, utrum epistulae plures, quas perlatas non esse Marcus fratri nuntiat (II 12, 1), inter epistulam in ipso discessu a Marco acceptam et alteram Arimino datam interfuerint, an duae illae proximae inter se scriptae sint, ita ut plures illas priores fuisse cognoscamus. Quae quamquam diiudicari non possunt, tamen has priores esse propterea crediderim, quod si alteram sententiam probamus, Marci Roma discessus in prius tempus nobis reiciendus est.

B. De capitibus quae sunt Qu. fr. III 1, 17—20.

Epistulae quae est Qu. fr. III 1. verbis: *Cum hanc iam epistulam complicarem, tabellarii a vobis venerunt a. d. XI. Kal. Sept. vicesimo*

die (c. 17), quae inest difficultas, eam alii alio modo tollebant; neque enim dies, qui est a. d. XI. Kal. Sept., cum ceteris epistulae partibus congruit, quia Cicero superioribus locis res memorat, quae fuerunt et a. d. XIII. Kal. Oct.: *Romam cum venissem a. d. XIII. Kal. Oct., absolutum offendi in aedibus tuis tectum* . . . (c. 14), et a. d. XII. Kal. Oct.: *Ad urbem accessit (Gabinius) a. d. XII. Kal. Oct.* (c. 15). Quare Manutius nomen *Sept.* mutavit cum *Oct.*, Baiter omnino omisit[1]), Tyrrell et Purser uncis incluserunt[2]), Wesenberg emendavit: *a. d. XI. Kal. septimo et vicesimo die*[3]). Quas emendationes omnes falsas scripturamque *a. d. XI. Kal. Septembr.* servandam esse ita demonstrabo, ut totum locum, qui est a verbis: *Cum hanc iam epistulam* (c. 17) usque ad verba: *ne mirere alia manu esse* (c. 19) a ceteris partibus alienum esse evincam.

Ac primum quidem valde mirum est, quod codices in hac scriptura: *a. d. XI. Kal. Sept.* consentiunt. Itaque iure quaerimus, qui fieri potuerit, ut si primo scriptum fuisset *a. d. XI. Kal. Oct.*, id quod ex locis superioribus exspectares, pro nomine *Oct.* ab homine librum describente nomen *Sept.* scriberetur, praesertim cum paulo ante verba: *a. d. XII. Kal. Oct.* posita sint. Verbum igitur *Sept.* ex *Oct.* ea ratione ortum esse vix credibile est. Itaque scriptura *a. d. XI. Kal. Sept.* omnium codicum testimonio defenditur.

Qua in parte hoc alterum argumentum inest. Scriptum enim est: *Quod interiore epistula scribis, me Idibus Septembribus Pompeio legatum iri, id ego non audivi* . . . . (c. 18). Nemo doctus adhuc de hoc die dubitavit, qui cum superiore *a. d. XI. Kal. Sept.* tam arte cohaeret, ut alter altero defendatur. Quintus enim, ut his verbis patet, cum epistulam, quam illi tabellarii reddiderunt (c. 17), scriberet, Marcum fratrem Idibus Septembribus Pompeio legatum iri et, id quod verbis: *scripsique ad Caesarem . . . . de mea mansione* (c. 18) elucet, Roma discessurum esse rumoribus quibusdam commotus sperabat; quod consilium fratris valde ei displicebat et eum, ut Romae maneret, illa epistula admonuit. Quae si ita sunt, Quinto illa epistula tum erat scribenda, cum eam ante Idus Sep-

[1]) C. F. W. Müller, III, 1, p. LXXXII. adnot. crit.
[2]) vol. II, p. 150.
[3]) Emendationes alterae, p. 74.

tembres, quibus frater discessurus esset, redditum iri sperabat. Si enim postea perlatae essent, admonitio inutilis fuisset. Neque eas sero redditas esse probari potest; immo Marcus ipse, cum scripsit: . . . . *me Id. Sept. Pompeio legatum iri*, rem futuram significasse videtur neque, si post Idus epistulam accepisset, ut falsam fratris opionionem refutaret, sic ei rescribendum fuit: *id ego non audivi scripsique ad Caesarem* . . . ., sed hac fere ratione: *id ego non audivi illumque rumorem falsum esse inde cognoscis, quod, quo tempore haec scribebam, i. e. post Idus Septembres, Romae eram.* Quibus omnibus colligi posse puto tum, cum Marcus verba c. 18 scribebat, Idus Septembres futuras fuisse. Itaque haec cum illis, quae sunt in c. 17., optime conveniuut.

Venio ad tertium argumentum. Atque c. 19. his verbis incipit: *Cum scripsissem haec infima, quae sunt mea manu, venit ad nos Cicero tuns ad cenam* . . Quae qui legerit sententiam: *quae sunt mea manu.* a Marco premi, ut Quintus in his infimis fratris manum, in superioribus autem alienam cognoscat, facile sentiet. Satis ei non fuit scribere: *cum scripsissem haec infima,* sed apposuit: *quae sunt mea manu.* Itaque primam epistulam a librario conscriptam esse putes. Atqui Cicero, cum epistulam ad familiarissimos suos, ut fratrem vel Atticum, dandam non ipse scribebat, sed servo dictabat, ne alia manu eam esse mirarentur, in prima id verbis claris significare solebat, ut his: *Non occupatione, quamquam eram sane impeditus, sed parvulla lippitudine adductus sum, ut dictarem hanc epistulam et non, ut ad te soleo, ipse scriberem* (Qu. fr. II 2, 1) vel his: *Occupationum mearum tibi signum sit librarii manus* (Qu, fr. III 3, 1). Paeterea conferas locos: Qu. fr. II 15, 1; Att. II 23, 1; IV 16, 1; VII 13 a, 3(7); VIII 12 1; 13, 1; X 14, 1. Ex his omnibus locis cognoscitur Marcum, cum epistulam librarii manu ad Atticum aut ad Quintum fratrem conscribebat, eam aliena manu esse semper patefecisse eiusque rei rationem dedisse, et id quidem plerumque primis verbis aut extremis, ut in hac epistula, quae est ad Att. VII 13 a.[1]) Atqui in prima illa epistula III 1. nihil eiusmodi in-

[1]) Paulus apostolus, ut epistulam librarii manu scriptam esse se auctore iudicaret, aliam rationem sequebatur, ut patet II. Thessalon. 3,17: ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ. οὕτω γράφω.

venimus; ergo eam Ciceronis ipsius manu esse constat, quae res eo confirmatur, quod Cicero, cum mense Septembri in villis esset ibique primam epistulae partem conscriberet, neque corporis valetudine aut causarum occupationibus impeditus erat. Sequitur, ut quae sunt in c. 19. cum prima epistula minime conveniant.

Gravissimum autem hoc videtur esse argumentum: Scriptum enim est: *Cum hanc iam epistulam complicarem, tabellarii* . . . (c. 17). Significat igitur Marcus superioribus epistulam ipsam confectam sibi visam esse neque se quidquam adscripturum fuisse, nisi tabellarii venissent. Atqui in capitibus 20., 21., 22. cum de multis aliis rebus, tum de Hippodamo gravissima haec scripta videmus: *Cum Romam ex Arpinati revertissem, dictum mihi est, Hippodamum ad te profectum esse. Non possum scribere me miratum esse, illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis litteris ad te proficisceretur; illud scribo mihi molestum fuisse . . . . . . Minucio me et Salvio et Labeoni reservabam. Labeo aut tarde proficiscetur aut hic manebit. Hippodamus ne num quid vellem quidem rogavit.* Apparet igitur Marcum ipsam epistulam III 1., cum primum ex Arpinati reverterit, Hippodamo, qui ad Caesarem profecturus erat, dare voluisse. Quis igitur hanc epistulae partem cum prima necessario coniungendam esse negabit? Quare Cicero post verba: *Adhuc erat valde incertum, et quando comitia et qui consules futuri essent* (c. 16) pergere non poterat: *Cum hanc iam epistulam complicarem* . . ., sed priusquam complicaret, capita 20., 21., 22. addenda erant. Neque casu quodam, ut memoriae infirmitate, Ciceronem ea primum praetermisisse et deinde, cum Quinti et Caesaris epistulas forte a. d. XI. Kal. Sept. accepisset, recordatum esse veri simile est. Eum enim lapsum postea, cum adscriberet, paucis saltem verbis eum notaturum fuisse exspectamus, ut fecit III 2, 3: *Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum; qui quidem mirificus illo die, quod paene praeterii fuit in Gabinium.* Nihil igitur aliud restat, nisi ut verba: *Cum hanc iam epistulam complicarem* . . . non ad superiora, sed ad aliam epistulam, ex qua desumpta sint, referri iudicemus.

Postremo ut sententia nostra probetur, afferam haec. Proficiscor a verbis: *Cum scripsissem haec infima,* . . . . *venit ad nos*

Cicero tuus ad cenam. Dedit mihi epistulam legendam tuam, quam paulo ante acceperat, Aristophaneo modo valde mehercule et suavem et gravem, qua sum admodum delectatus. Dedit etiam alteram illam mihi, qua iubes eum mihi esse adfixum tamquam magistro. Quam illum epistulae illae delectarunt, quam me! (c. 19). Imprimisque animum adverto in verba: *Dedit etiam alteram* . . . Quae qui legerit similia in superiore quadam epistula esse meminerit, quam Marcus M. Orfio, equiti Ramano, dedit (II 12): *Tua mandata persequar diligenter et adiungendis hominibus et quibusdam non alienandis. Maximae mihi vero curae erit, ut Ciceronem tuum nostrumque videam, si licet, cotidie, sed inspiciam quid discat, quam saepissime; et nisi ille contemnet, etiam magistrum me ei profitebor cuius rei nonnullam consuetudinem nactus sum* . . . (c. 2). Ad haec enim, quibus Marcus se etiam Quinti filio magistrum fore promiserat, illa, quibus Quintus filium, ut patruo *tamquam magistro* adfixus esset, monuit, rescripta esse concluditur et ea quidem quam primum, postquam Quintus ab Orfio equite epistulam accepit; quae mihi clarius demonstranda sunt.

Ac primum quidem, cum Marci epistula humanitatis plena esset, Quinto, quod eius in fratrem erat officium, quam primum gratiae agendae erant. Neque melius gratias agere poterat, quam ut filium proxima epistula moneret, ut patruo tamquam magistro adfixus esset.

Deinde summa erat de filii institutione cura, ut locis apparet: *De Cicerone quod me semper rogas, ignosco equidem tibi, sed tu quoque velim mihi ignoscas. Non enim concedo tibi, plus ut illum ames quam ipse amo* (III 1, 7). *Cicero noster, dum ego absum, non cessavit apud rhetorem. De eius eruditione quod labores, nihil est, quoniam ingenium eius nosti, studium ego video. Cetera eius sic suscipio, ut me putem praestare debere* (III 1, 14). Quin etiam mercedem aliquam promisisse Marco videtur; neque enim iocandi causa haec scripta esse puto: *Clamores efficiam, si eum mecum habuero otiosus. Nam Romae respirandi non est locus. Id me scis antea gratis tibi esse pollicitum. Quid nunc putas, tanta mihi abs te mercede proposita?* (III 1, 7). *Magna enim nobis a te proposita merces est, quam certe nostra culpa numquam minus adsequemur* (III 3, 4). Itaque

Quinto nihil optabilius esse poterat quam illud fratris promissum. His omnibus causis iure concluditur eum ad Marci epistulam M. Orfio equiti datam quam primum rescripsisse. Atqui ea epistula primo mense Maio data videtur esse (cf. p. 8), ut Quintus iam primo mense Junio eam accipere et e Gallia rescribere posset; ergo cum e Gallia Quinti epistula, quae memoratur III 1, 19. missa non esset, sed e Britannia, eam antea a Quinti familia acceptam esse concludimus, quam Quintus de filii eruditione fratrem moneret aliis suis litteris Britannicis (III 1, 7; 1, 14). Itaque, quod capita quae sunt III 1, 17.—20. ante reliquam epistulam III 1. conscripta esse censemus, optime convenit cum iis, quae supra disputata sunt.

Dubium igitur esse non potest, quin haec capita ex reliqua epistula demovenda atque in prius referenda sint. Atqui epistula quae est Qu. fr. II 15 prima fuit, quam litteris Britannicis acceptis Marcus ad fratrem dedit; ergo aliena illa pars postea scripta est; antequam enim Marcus primam Britannicam acciperet, magna litterarum intermissio fuit, de qua infra (p. 41—43) plura disseram, neque in hoc tempus partem illam alienam reici licet. Quaestio igitur oritur, num quid commune habeat cum ipsa epistula quae est Qu. fr. II 15., id quod his demonstrabo.

Ac primum quidem epistula II 15. tota librarii manu est. Neque enim alia sibi volunt verba: *Cum a me litteras librarii manu acceperis ne paulum* ⟨*quidem*⟩ *me otii habuisse iudicato, cum autem mea, paulum. Sic enim habeto, numquam me a causis et iudiciis districtiorem fuisse atque id anni tempore gravissimo et coloribus maximis* (c. 1), nisi Marcum illo tempore *ne paulum* ⟨*quidem*⟩ *otii* habuisse et propterea librario ea dictavisse; atque epistulam eam librarii manu conscriptam complicaturus iam erat, cum tabellarii venerunt (III 1, 17); qua re commotus capita 17. et 18. ipse adscripsit et deinde ad cenam se contulit. Tum venit Quinti filius, qui una cenavit, et inter cenam Cicero Tironi dictavit caput 19. Hic erat finis epistulae.

Deinde tempus, quod fuit a. d. XI. Kal. Sept. cum rebus publicis c. 3. scriptis convenit. De comitiis enim scripta videmus: *Comitia in mensem Septembrem reiecta sunt;* ac de Scauri causa: *Scauri iudicium s t a t i m exercebitur, cui nos non deerimus.* Atqui

summum iudicii diem a. d. IV. Non. Sept. fuisse Asconius prodidit[1]; ergo Cicero a. d. XI. Kal. Sept. verbo *statim* suo iure usus est.

Postremo haec nescio an sint argumento. A. d. XI. Kal. Sept., cum Marcus quae sunt III 1, 17 et 18 scripsisset, Quinti filius venit et duas epistulas a patre acceptas Marco legendas dedit. Quaerimus hic, quae fuerit causa, quod epistulas ipsas ferret. Neque enim ullo alio epistularum loco eiusmodi consuetudinem memoratam cognoscimus, quamquam Quinti familiam multo rarius quam Marcum litteras a Quinto accepisse vix credendum est, et Marcus, quotienscumque in domum Pomponiae veniebat, certe etiam litteras fratris perlegebat, neque quidquam de ea re fratri nuntiavit alio loco. Tum igitur singularem, quod eae legendae ad fratrem ferrentur, causam fuisse puto; errare igitur non videmur, si duas illas epistulas primas fuisse censemus a Quinto ad familiam suam e Britannia missas. Ipsi animo facile informamus, quam suspensis animis et Marcus et Quinti familia post tantam litterarum intermissionem epistulas exspectaverint, cumque tandem redditae essent, alterum ab altero certiorem factum esse et epistulas quoque a Quinti familia acceptas perlegere Marci multum interfuisse consentaneum est. Sed utcumque est, constare puto illas litteras a Quinti familia acceptas fuisse primas Britannicas. Quare inter se res bene conveniunt. Marcus enim paulo antequam epistulam II 15. scriberet, primas Britannicas acceperat, ac deinde tabellarii a. d. XI. Kal. Sept. alteras reddiderunt. Atque Quinti familia totidem accepisse videtur: alteras, in quibus de filii institutione plura infuerunt a. d. XI. Kal. Sept. ab iisdem tabellariis; alteras, ut Marcus ipse scribit, *paulo ante* (c. 19), et eas quidem primas Britannicas. Itaque quae sunt III 1, 17.—20. capita cum epistula II 15. congruunt.

Quoniam haec de illis capitibus cum epistula II 15. coniungendis sententia satis videtur probata esse, nunc, quae ex ea re efficiantur exponenda mihi sunt.

Ac primum quidem epistulam II 15. a. d. XI. Kal. Sept. scriptam esse videmus.

---

[1]) Kiessling-Schoell, p. 16.

Deinde paulo ante, fortasse pridie vel a. d. XIII. Kal. Sept. primas litteras Britannicas redditas esse apparet; unde, quamquam non accuratissime, tamen satis accurate, quo tempore e Britannia datae sint, statuere possumus, quoniam tabellariorum celeritatem his locis cognoscimus. Qu. fr. III 1, 25: *Ex Britannia Caesar ad me Kal. Sept. dedit litteras, quas ego accepi a. d. IV. Kal. Oct.* Dies igitur fuerunt fere XXVII.

Attic. IV 18, 5: *A Quinto fratre et a Caesare accepi a. d. IX. Kal. Nov. litteras datas a litoribus Britanniae proxime* [sic in codicibus] *a. d. VI. Kal. Oct.* De variis verbi *proxime,* quod est difficile intellectu, emendationibus, ut *proximo* vel *proximis* vel *proximas* hic disserere praetermittam, quoniam non multum refert; litterae enim a litoribus aut Britannicis aut Gallicis datae sunt; si a Gallicis, iter fuit XXVIII dierum, si a Britannicis, unus fere addendus vel duo propter iter maritimum.

Qui duo loci maximo nobis videntur usui esse, cum primas litteras Britannicas e litoribus Britannicis datas esse censendum sit. Sequitur, ut ante vicesimum fere septimum diem e Britannia datae sint i. e. circa a. d. XI. Kal. Sextil. Illo igitur tempore traiectus fuit in Britanniam. Mirum in modum in ea re convenimus cum Napoleone popularis sui, Le Verrier, temporis rationem secuto; computavit enim ex natura rerum exercitum traiectum esse XX. Iul. anni Iuliani sive a. d. XI. Kal. Sext.[1]). Sequitur, ut anni LIV. mensis Quintilis fere congruat cum fastis Iulianis. Atque litterae primae Britannicae fortasse die proximo, a. d. X. Kal. Sext. missae sunt tabellariique propter gravem nuntium nescio an maiore celeritate usi sint, cum illae circa a. d. XIII. Kal, Sept. Romae redderentur.

Tertio loco cognoscimus Drusum de praevaricatione absolutum esse et Vatinium defendendum fuisse a. d. XI. Kal. Sept. (Qu. fr. II 15, 3).

Postremo constat Marcum a. d. XI. Kal. Sept. ad fratrem scripsisse: *O me sollicitum! quantum ego dolui in Caesaris suavissimis litteris! Sed quo erant suaviores, eo maiorem illius ille casus ad-*

---

[1]) p. 196—99; Koerner p. 48.

ferebat (Qu. fr.. III 1, 17). Agitur, qui fuerit Caesaris ille *casus*. Atque adversum fuisse Ciceronis verbis patet. Quocum loco congruere videntur, quae in extrema epistula III 1. scripta videmus: *Ex Britannia Caesar ad me Kal. Sept. dedit litteras ..... Ad eas ego ei nihil rescripsi, ne gratulandi quidem causa propter eius luctum* (c. 25). Verboque *luctus* uti solent homines Romani in morte hominis alicuius propinqui. Atqui cum alii scriptores [1]) illo ipso anno, quo Caesar alterum bellum Britannicum gessit, Iuliam filiam, Pompei uxorem, mortuam esse prodiderunt, tum Plutarchus his: *Δὶς δὲ διαπλεύσας εἰς τὴν νῆσον ἐκ τῆς ἀντιπέρας Γαλατίας καὶ μάχαις πολλαῖς κακώσας τοὺς πολεμίους μᾶλλον ἢ τοὺς ἰδίους ὠφελήσας, οὐδὲν γὰρ ὅτι καὶ λαβεῖν ἢ ἄξιον ἀπ' ἀνθρώπων κακοβίων καὶ πενήτων, οὐχ οἷον ἐβούλετο τῷ πολέμῳ τέλος ἐπέθηκεν, ἀλλ' ὁμήρους λαβὼν παρὰ τοῦ βασιλέως καὶ ταξάμενος φόρους ἀπῆρεν ἐκ τῆς νήσου. καὶ καταλαμβάνει γράμματα μέλλοντα διαπλεῖν πρὸς αὐτὸν ἀπὸ τῶν ἐν Ῥώμῃ φίλων δηλοῦντα τὴν τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ τελευτήν. τελευτᾷ δὲ τίκτουσα παρὰ Πομπηίῳ* (Caes. 23). Ergo etiam Ciceronem illis duobus locis Iuliae mortem significasse putamus. Cui sententiae difficultas quaedam inesse videtur, cum Plutarchus verbis: *Καὶ καταλαμβάνει γράμματα μέλλοντα διαπλεῖν πρὸς αὐτὸν* clare dicat Caesarem de filia mortua certiorem factum esse eo ipso tempore, quo e Britannia in Galliam bello confecto reversurus esset. Atqui illud tempus proditum habemus in Ciceronis epistula ad Atticum data (IV 18, 5): *A Quinto fratre et a Caesare accepi a. d. IX. Kal. Nov. litteras datas a litoribus Britanniae † proxime a. d. VI. Kal. Oct. Confecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla praeda, imperata tamen pecunia exercitum e Britannia reportabant;* ergo cum tabellarii Iuliae mortem nuntiantes minus XXVII dies [2]) itinere consumerent, Iuliam ineunte mense Septembri [3]) vel circa a. d. V. Kal. Sept. [4]) mortuam esse efficitur. Sequitur, si hanc sententiam probamus, ut Marcus

---

[1]) Valer. Maxim. 4, 6; Velleius Paterculus 2, 47; Sueton. Caes. 26; Dio Cassius 39, 64.

[2]) Rauschen, p. 57, adnot. 91.

[3]) Rauschen, l. l.; Drumann, Geschichte Roms, III. p. 763, adnot. 5.

[4]) Bergk, p. 623; Koerner, p. 53 et 54 adn. 3.

a. d. XI. Kal. Sept. de Iulia mortua non potuerit cogitare. Si enim illa verba (III 1, 17) de Iuliae morte scripta sunt, Iulia a. d. XI. Kal. Sept. mortua iam fuit et mortem obiit aliquanto temporis ante, cum verba ipsa tam obscura sint, ut a Marco superiore quadam epistula fratem de ea re certiorem factum esse censendum sit. Ille igitur nuntius, cum esset gravissimus, multo antequam Caesar e Britannia reverteretur, perferri et poterat et debebat. Duae igitur restant viae: aut Cicero illis verbis non significavit Iuliae mortem, aut Plutarchus erravit falsumque tempus prodidit.

Ciceronem autem non nisi de Iuliae morte, cum verba (III 1, 17) scribebat, cogitasse nunc demonstrare conabor. Ac primum explorari non potest, qui alius Caesaris casus fuerit, quo Ciceroni magnus dolor adferretur.

Deinde Caesari ille casus gravissimus fuit, cum Cicero summis doloris sui signis utatur: *O me sollicitum! Quantum ego dolui in Caesaris suavissimis litteris! Sed quo erant suaviores, eo maiorem illius ille casus adferebat.* Inducimur igitur, ut eum revera Iuliae mortem his significasse putemus.

Accedunt haec graviora: Valde enim mirum est, quod litterae Britannicae, postquam priores uno vel duobus diebus ante Marcus accepit, redditae sunt alterae. Dicet quispiam in Arpinati Ciceronem complures accepisse litteras brevibus spatiis interiectis (III 1). At quibus intervallis Romae redditae sint illae epistulae nihil constat, ut id argumenti vim non habeat. Quapropter causam singularem fuisse puto, quod Caesar iterum tabellarios mitteret brevi spatio interposito.

Deinde maiori admirationi est, quod non unus tabellarius a. d. XI. Kal. Sept. venit, sed plures, certe minimum duo. A Caesare enim, cum litteras mittebat, semper unus tabellarius videtur missus esse neque aliam consuetudinem ex Ciceronis epistulis cognoscimus. Itaque iterum eo perducimur, ut causam praecipuam tum fuisse censeamus, quod Caesar pluribus tabellariis uteretur.

Postremo in codicibus scriptum videmus: *tabellarii* . . . . *venernnt* . . . . *vicesimo die.* Equidem puto coniecturas Wesenbergi, qui *septimo et vicesimo die* vel Bergkii, qui *tricesimo* (p 622)

scripsit, omnino supervacaneas esse. Vidimus supra etiam scripturam *Septembr.* veram esse. Quare non est, cur de altera dubitemus, nisi forte probatur fieri non potuisse, ut tabellarii vicesimo die advenirent. Atqui hanc celeritatem etsi magnam, tamen iusto nimiam non fuisse infra docebo; accedit, quod Cicero numero ordinali usus eximiam eorum celeritatem significasse videtur. Ceteris enim locis, ut tabellariorum itineris celeritatem fratri patefaceret, quo die epistulae datae quoque redditae sunt, scripsit, ut Qu. fr. III 1, 13; 1, 25. Ergo, ut tam celeriter proficiscerentur, singulari quadam causa tabellarii videntur impulsi esse.

Quae mira omnia facile explicantur, si illos tabellarios celerrimos propter Juliam mortuam a Caesare missos esse censemus; litteras enim gravissimas ferebant de Juliae rebus, quam filiam imperator semper summo amore prosecutus erat; itaque, cum primum eius mortem cognovisset, statim mandata de funere aliisque rebus Romam — ibi enim videtur filia mortem obisse — eum misisse facile intellegimus. Atque ut illae gravissimae litterae quam primum perferrentur, duobus vel tribus tabellariis celerrimis usus est. Si enim unus vel alter, quominus iter persequeretur, in itinere ipso fortuna impediretur, reliquo litterae perferendae erant. Neque eos in mansionibus vel mutationibus diu moratos, sed quam maximis diei itineribus profectos esse per se veri simile est. Qua re factum est, ut quo itinere tabellarii e Britannia Romam proficiscentes viginti fere octo dies consumere solebant, id vicesimo die conficerent. A portu Itio iter fuit usque ad Romam circa MCCCXLV milium.[1]) Si illis tabellariis celerrimis ad hoc iter faciendum duodeviginti diebus opus fuisse iudicamus — duo enim itinere Britannico et maritimo videntur consumpti esse —, cotidie iter LXXV fere milium confecerunt. Quod O. E. Schmidt, qui plura de tabellariorum celeritate composuit p. 201—205 et 378—79, tabellariorum litteras gravissimas ferentium diei iter XL—L milium fuisse contendit, ad illam sententiam reiciendam argumenti vim non habet, cum eximia illa celeritas rebus ipsis necessaria esset. Sed ut redeamus ad rem,

---

[1]) itin. Ant. p. 169.

constare puto tabellarios, qui a. d. XI. Kal. Sept. Romam venerunt, Juliae mortuae causa a Caesare missos esse. Quae si ita sunt, Cicero, cum dolorem suum de Caesaris casu fratri patefecit (III 1, 17), de Julia mortua cogitavit. Patet igitur Plutarchum erravisse falsumque, quo Caesar mortem cognoverit, tempus, memoriae prodidisse. Neque eius testimonium pro argumentis supra allatis grave est, praesertim cum ea quoque re deceptus esse videatur, quod Juliae partum femininum fuisse putavit (Pomp. 53), cum omnes scriptores Romani de masculino scripserint [1]).

Nunc vero, quando Caesar nuntium filiae mortuae acceperit, quandoque Julia e vita discesserit, facile statuitur. Nuntium enim accepit ipsis Kalendis Sextilibus, id quod verbis *vicesimo die* patet; unde si tempus nuntii perferendi deduximus, Juliam primo mense Quintili, circa Nonas, mortuam esse intellegimus; neque id tempus discrepat cum iis, quae Plutarchus scripsit Juliam anno superiore LV. abortum fecisse (Pomp. 53). Comitia enim aedilicia, de quibus hoc loco dicit, facta videntur esse ante mensem Maium, siquidem C. Messius, eius anni aedilis [2]), ludos Florales (ab a. d. IV. Kal. Mai. usque ad V. Non.) apparavit [3]). Inde usque ad alterum anni LIV. partum spatium plus fuit unius anni.

Restat, ut exponam, qua epistula Marcus Juliam e vita discessisse fratri nuntiasse videatur. Atque Juliam circa Non. Quint. mortuam esse cognovimus; ergo illam epistulam paulo post et, antequam quae est II 14. mitteretur, datam esse veri simile est. Haec enim post Idus Quintiles, exeunte mense (c. 4), data est, neque de Julia quidquam scriptum habet. Superiores autem plures periisse etiam aliis rebus concludendum est (cf. p. 24; 48).

Deinde quaerere licet, num forte capita III 1, 17.—20. ex epistula quadam reliqua sint, quae fuerit inter epistulas II 15. et III 1; quae sententia quamquam propter argumenta allata (p. 9—14) improbanda est, tamen concedo inter illas epistulas

[1]) Velleius Paterc. 2, 47; Sueton 26; Lucan. 5, 474; cf. Drumann III. p. 763. adnot. 4.

[2]) Lange, Rõm. Altert. III. vol. 1876². p. 338.

[3]) Valer. Max. II 10, 8; Koerner p. 28.

aliam fuisse, quae periit. Cum enim epistulae II 15. paulo post a. d. XI. Kal. Sept., et III 1. paulo post a. d. IV. Kal. Oct. datae sint, non est dubium, quin Marcus, priusquam primo mense Septembri in villas abiret (III 1, 1) ad fatrem scripserit epistulam, in qua et aliae res et de Scauro a. d. IV. Non. Sept. repetundarum absoluto nonnulla infuerint. Nisi enim eiusmodi epistulam intercidisse iudicemus, spatium litterarum intermissionis a Marco factae nimium est. Errant autem Bergk (p. 624, adnot.) et Koerner (p. 54) de Julia mortua in ea scriptum fuisse arbitrati. Idemque Koerner ea re fallitur, quod de Planci causa Marcum in ea scripsisse opinatus est, de qua infra disseram.

C. Quae rationes inter epistulas mensibus Sextili et Septembri a Marco acceptas et antea datas intersint.

Ac primum quidem revertor ad rationem, quam inter epistulas a Quinti familia a. d. XI. Kal. Sept. acceptam alteram (III 1, 19) et a Marco mense Maio datam (II 12) interesse supra (p. 11—13; 14) conclusimus. Marci enim illa epistula primo mense Maio M. Orfio, equiti Romano, data est, et Quintus ad eam rescripsit Kal. Sext., cum in Britannia iam esset. Iure igitur quaerimus, cur tum demum rescripserit, quamquam, ut quam primum responderet ad eam ipsam epistulam, gravibus officiis tenebatur (cf. l. s.). M. Orfius certe primo mense Iunio ad Caesaris exercitum pervenit, ita ut Quinto ante iter Britannicum rescribendi tempus futurum fuerit, si ab Orfio mature litterae ei redditae essent. Rescripsit autem illis demum litteris, quas secundas misit ex insula. Quod brevi ante nihil de M. Orfi epistula respondisse videtur, non est mirum: neque enim copiosae epistulae scribendae tempus fuisse Quintumque codicilli quasi exemplo felicem suum in Britanniam adventum Marco et familiae suae nuntiasse puto; hanc solam rem Marcus ex Quinti epistula memorat (Qu. fr. II 15, 4). Miramur, quod non iam ante iter Britannicum Quintus filio scripsit de Marci epistula a M. Orfio reddita. Concludere igitur licet eam

sero ei redditam esse, cum postrema epistula Gallica missa illa longa litterarum intermissio esset, de qua infra plura cognoscemus. Facile enim fieri poterat, ut M. Orfius eques, quoniam multo post Quintum ex Italia inferiore profectus est (cf. p. 8), Quintum non ante conveniret, quam omnis a Caesare exercitus in portum Itium coactus est, sive quod Quintus cum Caesare in fines Treverorum abierat (bell. g. V. 2), sive quod ipse et M. Orfius apud legiones longo spatio inter se disiunctas fuerunt. Atque ex his alia concludemus.

Nunc disseram de capitibus quae sunt III 1, 8.—11. Atque de Curtio haec scripta sunt: *De tribunatu qnod scribis, ego vero nominatim petivi Curtio et mihi ipse Caesar nominatim Curtio paratum esse rescripsit meamque in rogando verecundiam obiurgavit. Si cui praeterea petiero —- id quod etiam Oppio dixi, ut ad illum scriberet, — facile patiar mihi negari, quoniam illi, qui molesti sunt, sibi negari a me non facile patiuntur. Ego Curtium — id quod ipsi dixi — non modo rogatione, sed etiam testimonio tuo diligo, quod litteris tuis studium illius in salutem nostram facile perspexi* (c. 10). Quibus primum colligitur superiore quadam epistula Marcum Curtio tribunatum a Caesare petivisse; deinde a Quinto de ea re certiore facto Marcum obiurgatum esse; Quintus enim timuisse videtur, ne frater Caesari molestias afferret; postremo Caesarem Curtio tribunatum esse paratum ad Marcum rescripsisse. Ac quaerentes nos, a quo Quintus de Curti tribunatu certior factus sit, proximum est putare illis ipsis litteris, quas Marcus fratri post a. d. III. Non. Iun. misit (II 13); in his enim scripta sunt: *M. Curtio tribunatum ab eo* [i. e. a Caesare] *petivi . . . . ., sed in alterum annum. Id et Curtius ita volebat* (c. 3). Marcus igitur litteris, quas post Caesarianas a. d. III. Non. Iun. acceptas (c. 1) misit, tribunatum illum ab imperatore petiverat et hoc fratri illis verbis nuntiavit. Itaque iure conicimus locos allatos ita inter se cohaerere, ut Quinti epistula altero (III 1, 10) memorata ad Marci epistulam II 13. referatur. Vix enim credo Quintum ipsius Caesaris de Curti tribunatu verbis, ut fratrem obiurgaret, commotum esse. — Atque cum ea re alter locus (III 1, 10.) ad Marci epistulam II 13 referri videatur, ceteris quoque rebus eandem inesse rationem puto, ac primum quidem

his verbis: *Veni nunc ad tuas litteras, quas pluribus epistulis accepi, dum sum in Arpinati; ..... una pluribus verbis, in qua primum erat, quod antiquior dies in tuis fuisset adscripta litteris quam in Caesaris. Id facit Oppius non numquam necessario, ut, cum tabellarios constituerit mittere litterasque a nobis acceperit, aliqua re nova impediatur et necessario serius quam constituerat mittat, neque nos datis iam epistulis diem commutari curemus* (c. 8). Marcus igitur, cum epistulas duas per tabellarios perferendas Oppio daret, qua die datae erant, iis adscripserat. Oppius autem, cum tabellarios serius quam voluerat mitteret, in litteris Caesari scriptis, quas a Marco acceperat diem mutavit. Quae res Quintum, quia in eius litteris antiquior dies mutata non erat, ut causam e fratre quaereret, moverat. Unde hoc, quod est gravissimum, cognoscimus, epistulas, quas Marcus paulo post a. d. III. Non. Iun. et ad Quintum et ad Caesarem dedit, multo post Roma latas esse, ita ut summum extremis mensis Iunii diebus vel potius ineunte Quintili fratri in portu Itio, ubi tum fuit, sua reddi posset. Cum illo ipso tempore litterarum intermissio esset, de qua scripsi (p. 20—21), Quintus, ut M. Orfi epistulam, ita hanc quoque reposuit, ut primo quoque tempore post suum in Britanniam adventum responderet. Atque cum primas e Britannia daret epistulas ad Marcum et ad familiam suam, rescribendi tempus non fuit. Cum autem iterum scriberet, tempus ipsum habuisse videtur, ut ad Marcum de eius legatione (III 1, 18) paucisque fortasse aliis rebus et ad familiam de Marci epistula ab Orfio accepta rescriberet. Tabellarii enim Iuliae mortem nuntiantes subito venerant et non longa mora interposita alteris Romam proficiscendum erat. Unde tempus Quinto non fuit copiosius scribere et quae ei ad Marci epistulam II 13. respondenda erant, ad proximam epistulam reiecit, quae maxima una cum pluribus missa est (III 1, 8). Itaque putare licet hanc primam fuisse missam e tribus illis.

Deinde Marcus haec scripsit: *Quod tibi mea permissio mansionis tuae grata est, id ego summo meo dolore et desiderio, tamen ex parte gaudeo* (III 1, 9). Etiam ea verba ad epistulam II 13. referri puto; nam tota haec epistula permissio quaedam mansionis dici potest, quia Marcus gaudium suum professus, quod fratrem haberet *tam*

inservientem communi dignitati (c. 1) Caesarisque laudibus praedicatis (c. 1—2) fratrem monuit: *modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo* (c. 2). Quis his omnibus permissionem mansionis clare significari negabit? Quapropter errare videntur Tyrell et Purser, qui eam significatam esse epistula II 14. putaverunt[1]), id quod etiam temporis ratione nescio an improbetur. Tres enim illae epistulae una in Arpinati acceptae certe, antequam proxima (III 1, 13) a. d. IV. Idus Sextiles e Britannia daretur, a Quinto missae erant. Atqui Marci epistula II 14. post Idus Quintiles (c. 4), extremo mense[2]), scripta est; ergo, cum ante Idus Sextiles in Britannia vix reddita esse videatur, fieri non poterat, ut Quintus ad eam rescriberet, cum de mansionis permissione fratri gratias ageret. Quare Tyrelli et Purseri sententia videtur falsa esse.

Postremo inter Quinti epistulam, de qua scripsi, et Marci epistulam mense Iunio datam (II 12) rationem intercedere eo probare licet, quod Quintus de Trebatio plura scripserat, id quod Marci verbis cognoscitur: *Trebatium vero meum quod isto admisceas, nihil est. Ego illum ad Caesarem misi, qui mihi iam satis fecit; si ipsi minus, praestare nihil debeo teque item ab eo vindico et libero* (III 1, 9). Quintus enim, cum epistulam a Marco acceptam (II 13) in rescribendo iterum legeret, de Trebatio admonitus est, et quae de eo explorata habebat, fratri nuntiavit.

Quibus explicatis nunc, quam epistulam significent verba: *Calamo bono et atramento temperato, charta enim dentata res agetur. Scribis enim te meas litteras superiores vix legere potuisse, in quo nihil eorum, mi frater, fuit, quae putas* (II 14, 1), facilius diiudicatur. Neque enim haec referri possunt ad epistulam II 13., quia tam sero ea reddita est, ut Quintus ad eam e Britannia demum responderet. Illa autem epistula, qua Quintus de malis litterarum formis questus est, e Gallia data est; itaque ad superiorem quandam ducimur, quaestioque est, num Quintus eam significaverit, quam a M. Orfio accepit mense Maio datam (II 12).

---

[1]) vol. II p. 147, adnot.
[2]) Rauschen p. 54—55.

Ac ne eam quidem significare potuit, quia ipsam quoque eo tempore redditam esse supra conclusimus, quo litterarum intermissio fuit. Itaque nihil aliud restat, nisi ut censeamus epistulam quandam extremo mense Maio e Cumano vel Pompeiano datam esse, quam non iam habemus. Cicero enim, postquam M. Orfio, equiti Romano, epistulam II 12. dedit, quamquam de tabellariorum inopia illo tempore questus est (II 12, 3), epistulae mittendae occasionem postea videtur nanctus esse; atque eam, cum forte tempus scribendi brevissimum esset, celeri manu scriptam esse puto, ut Quintus litteras vix legere posset; unde fratrem tum occupatum aut perturbatum vel iratum fuisse is arbitratus erat.

Venio ad tertiam rationem explicandam, quae fuit inter Quinti et Marci epistulas. Atque interpretanda mihi haec sunt: *Rescripsi epistulae maximae. Audi nunc de minuscula; ..... Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi* (III 1, 11). Agitur hic, quando Quintus a Marco de orationibus pro Scauro et pro Plancio habitis certior factus sit.

Ac de Scauriana facilius res cognoscitur, quia Scaurum a Triario de repetundis postulatum esse prid. Non. Quint. ex Asconi commentario scimus[1]). Marcus igitur, si ipse — id quod veri simile est — fratrem certiorem fecit de Scauri causa et de oratione habenda, non ante Kalendas Quintiles, sed postea scripsit; statuendum igitur est eam epistulam, quae periit, primo mense Quintili datam esse, quae haud scio an eadem fuerit, qua Iuliae mortem fratri nuntiavisse videtur (p. 19). Atqui minuscula illa epistula, qua Quintus orationem Plancianam postulavit, primo mense Sextili data est (cf. p. 23); ergo Quintus eo tempore etiam de Planci iudicio certior factus iam erat; sequitur, ut Plancius primo mense Quintili — tantum enim temporis opus fuit, ut nuntius eius iudicii primo mense Sextili in Britanniam perferretur — a Laterensi accusatus iam sit. Difficillimam igitur habemus quaestionem, quo tempore Plancius de sodaliciis accusatus, quo oratio a Cicerone habita i. e., quando absolutus sit.

Atque viri docti Planci iudicium fuisse exeunte mense Sextili

[1]) Kiessling-Schoell p. 16.

aut primo Septembri putaverunt[1]). Neque ludis Romanis ipsis, circa Nonas Sept. id fuisse, id quod Koerner (p. 49—51) aliique voluerunt, clarum est[2]). Atque Wunderi usi sunt omnes fere argumentatione hac. Apparet Plancium aedilitatem petisse anno a. Chr. n. LV. Cn. Pompeio M. Licinio Crasso iterum consulibus atque propter comitiorum dilationem serius aedilem creatum, a Laterensi, competitore suo, de sodaliciis ex lege Licinia accusatum esse anno proximo LIV. Atqui scholiasta Bobiensis P. Vatinium ante Plancium de sodaliciis causam dixisse tradit[3]), P. Vatinium autem extremo mense Sextili eius anni a Cicerone defensum esse ex Asconi commentario (p. 16) et Ciceronis epistula quae est Qu. fr. II 15. satis cognoscitur. Ergo Cn. Plancius extremo mense Sextili aut primo Septembri causam dixit. Quam Wunderi argumentationem copiose ab eo explicatam[4]), quantum video omnes fere probaverunt. Neque tamen iure probasse videntur.

Namque ut iudicii tempus inveniamus, prius quaerendum est, quando illa comitia, quibus Plancius aedilis factus est, habita sint. Haec enim quaestio cum altera artissime cohaeret.

Atque Plancium anno LV. aedilitatem petisse in Wunderi argumentatione demonstranda iam attuli. Ceteris magistratibus creandis comitia, praeter aedilicia, Cn. Pompeius M. Licinius Crassus consules extremo anno LV. confecisse videntur[5]), quae res vel ex eo cognoscitur, quod Cicero in litteris, quas primo anno LIV. ad fratrem dedit (II 9; 10; 11) nihil de interregno scripsit, sed vix ullum rerum publicarum argumentum ad litteras suas conscribendas se habere questus est (II 9, 1; 10, 1; 11, 4), et consules tribunique plebis mense Februario munere fungebantur (II 10, 1; 11, 2 et 3). Itaque omnes fere magistratus suo tempore munera sua suscepisse videntur.

Ac de comitiis aediliciis hoc scimus ex Ciceronis oratione,

---

[1]) Lange, vol. III. p. 349; A. W. Zumpt, Der Kriminalprozeß d. r. R., Leipzig 1871, p. 548.

[2]) Rauschen p. 56—57.

[3]) Orelli V p. 262.

[4]) Oratio pro Cn. Plancio, Leipzig 1830, proleg. p. LXVIII—LXX.

[5]) Lange III p. 342.

quam pro Plancio habuit, bis ea habita esse — dicit enim Cicero de comitiis aediliciis *superioribus* (20, 49) et altero loco (22, 54) de *prioribus* —, et priora quidem Crassus legis de sodaliciis latae auctor ipse habuit (20, 49). Atqui Crassus medio mense Novembri, ut in provinciam iret, ex urbe decesserat[1]); ergo comitia superiora ante medium mensem Novembrem fuerunt.

Agitur nunc, quando altera fuerint. Oratione Ciceronis ipsa nihil de his comperimus. At constat Cn. Planci iudicium fuisse apud C. Alfium Flavum, quem Cicero bis in oratione adloquitur (17, 43; 42, 104), praetorem anni LIV. (Qu. fr. III 1, 24); actionemque causae circa Kal. Quint. iam fuisse supra (p. 24) conclusimus. Neque habemus his nisi terminum qui vocatur *ante quem.*

Quare de alteris comitiis aediliciis et de Planci iudicio multae oriuntur dubitationes. Quaerimus enim, comitia illa altera utrum a mense Novembri anni LV. usque ad medium proximum reiecta sint, ita ut Plancius Iunio fere mense postularetur et extremo Sextili absolveretur, an primo anno LIV., ut mense Martio, habita sint et illa Planci causa inde usque ad extremum mensem Sextilem dilata sit. Neutra sententia probabilis est. Priori enim haec opponuntur. Non intellegitur, cur Appius Claudius L. Domitius Ahenobarbus consules comitia aedilicia usque ad medium annum reiecerint, cum ceteri magistratus Februario mense iam muneribus suis fungerentur; neque vero, ut anno superiore, interregnum fuit, et primo mense Iunio Cicero ad fratrem scripsit: *Res Romanae sic se habent*; *erat nonnulla spes comitiorum, sed incerta, erat aliqua suspicio dictaturae, ne ea quidem certa summum otium forense, sed senescentis magis civitatis quam adquiescentis* . . . . (II 13, 4—5). His Cicero comitia magistratibus in proximum annum creandis quin significaverit, non est dubium. Mirum igitur esset, si tum eiusdem anni aediles nondum fuissent creati.

Neque Cicero comitiorum alterorum longam reiectionem oratione sua memorare, ut iudicum animos moveret, praetermisisset, praesertim cum ne Sextili quidem mense aediles curules munus inituri fuerint. An putamus A. Plotium, Planci collegam, antea

---

[1]) ad Attic IV 13, 2: Lange III p. 339 et 343.

iam munus inisse sine collega? Atqui neque rebus publicis tanta comitiorum, dilatio quomodo facta sit, explicari potest neque ex Ciceronis oratione quidquam de ea cognoscitur; ergo comitia primo anno habita esse concludendum est.

Qua re altera nobis reliqua est ratio, qua coniecimus Plancium primo anno, cum aedilis creatus esset, a Laterensi accusatum iudiciumque eius usque ad extremum mensem Sextilem dilatum esse. Quae sententia propterea minus probanda est, quod causa fuisse non videtur, cur per tantum tempus iudicium intermitteretur, quamquam et magistratuum et hominum Romanorum interesse debebat aediles curules ante ludos Megalenses, qui fuerunt mense Aprili, munus inire, neque inire poterant nisi causa iudicata. His omnibus rebus inducimur, ut Planci iudicium primo anno fuisse censeamus.

Gravissimumque argumentum hoc est. Mirum enim est, quod Cicero in nulla epistula, quas mensibus Quintili Sextilique ad Atticum aut ad fratrem misit, quidquam de Planci causa memoravit, quamquam ea res familiarissimi sui, cuius de ipsius salute merita in oratione identidem landavit, Marco gravissima erat mentioque eius et Attico et fratri certe grata fuisset; at aliorum iudiciorum minus gravium accuratam fecit mentionem. Videamus enim, quae ad Atticum circa Kal. Quint. scripserit (IV 16). Atque scripta videmus copiosa de C. Catone, de Druso, de Procilio (c. 5), de singulis candidatis consularibus (c. 6 [17, 2]). Proximam misit ad Atticum epistulam exeunte mense Quintili (IV 15), in qua deinceps scriptum est de C. Catone et Procilio (c. 4), de Reatinorum rebus (c. 5), de Fontei causa (c. 7), de candidatorum consularium ambitu (c. 7), de Messi defensione (c. 9), postremo hoc: *Deinde me expedio ad Drusum, inde ad Scaurum. Parantur orationibus iudices gloriosi. Fortasse accedent etiam consules designati; in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc iudicio valde laborabit* (c. 9). His Cicero ipse iudiciorum ordinem temporis ratione institutum proponit neque Planci causam ullo verbo memorat. Qua ratione viri docti hanc difficultatem expediverint, equidem nescio.

Eundemque ordinem in epistula, quam ad fratrem a. d. XI. Kal. Sept. misit (II 15), invenimus. Primum memoratur Drusi

causa, deinde Vatini, tum Scauri futura (c. 3). Quodsi Cn. Plancius causam dixisset post Vatinium et ante Scaurum, vix eum hic praetermisisset, praesertim cum proximis diebus gravissima illius causa futura fuerit. Dixerit quispiam Ciceronem in Quinti epistula Vatinium memorasse inter Drusum et Scaurum, in Attici autem praetermisisse omnino. At si in Quinti epistula diligentior fuit, maiori admirationi est, quod Planci causam omisit.

Deinde cur ad Atticum nihil scripserit de Vatinio facilius explicatur; fortasse putavit, cum Vatini, pristini sui inimici, defensionem, quam Caesare auctore susceperat[1]), silentio praetermitteret, pudorem suum minorem esse aut forte illo loco eam rem oblitus est. Sed utut est, grave non est. Gravius autem est, quod neutro loco Planci causam memorat. Quam rem aliter explicare non possum, nisi ut illud iudicium illo tempore non fuisse censeam.

Itaque errare non videor, si statuo iudicium fuisse extremo mense Martio. Scripsit enim Cicero ad fratrem a. d. XVI. Kal. Mart.: *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum, et, quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Kal. Febr. usque ad. Kal. Martias legatis senatum cotidie dare. Ita putantur detrudi comitia in mensem Martium* (II 11, 3). Quaero, hic quae comitia significata sint, utrum aliis rebus cum populo agendis an magistratibus creandis. Atqui aliis epistularum locis intellegitur Ciceronem, si de *comitiis* scripsit nulla explicatione addita, plerumque comitia magistratibus creandis significare. Ergo illa quoque verba sic interpretanda videntur esse. Atqui consules, praetores, tribunos plebis mense Februario muneribus functos iam esse illa ipsa epistula ad Quintum data II 11. indicio est; ergo nulla alia comitia nisi aedilicia videntur significata esse. Mense Novembri anni superioris Cicero de comitiis habendis ad Atticum scripsit: *Comitiorum nonnulla opinio est* (IV 13, 1) Drumann, quod de comitiis consularibus cogitavit (IV p. 526), errare videtur, quia Crassum ante discessum suum superiora comitia aedilicia iam habuisse oratione Planciana cognoscitur; quae comitia post ceterorum magistratuum haberi solebant.

---

[1]) Lange, III p. 349.

Quintusque, quae comitia frater in animo haberet, facile intellegebat, quia illo tempore nisi aedilicia non restabant, de quibus fratres, priusquam Quintus in villas discederet[1]), locutos esse veri simile est. Atque comitia haec mense Martio fuisse videntur; ergo Planci iudicium ante ludos Megalenses fuisse his concludo.

In oratione Cicero dicit in Laterensem: *Sed haec nescio quomodo frequenter in me congessisti saneque in eo creber fuisti: te idcirco in ludos causam conicere noluisse, ne ego mea consuetudine aliquid de tensis misericordiae causa dicerem, quod in aliis aedilibus ante fecissem. Non nihil egisti hoc loco; nam mihi eripuisti ornamentum orationis meae; deridebor, si mentionem tensarum fecero, cum tu id praedixeris. Sine tensis autem quid potero dicere* (34, 83)? Ac de verbis: *te idcirco in ludos causam conicere noluisse* Wunder (p. 203) maxime dubitavit. Si enim Cicero dicere voluisset adversarium in ludorum tempus causam demovere noluisse, verbo *reiciendi* utendum fuisse. At quamquam hoc verbum rectius esse opinamur, tamen considerandum est Laterensem priorem eo usum esse et Ciceronem ipsa adversarii verba repetere.

Deinde aliquantum interesse puto inter verba: *causam reicere* et *causam conicere.* Verbis *causam reicere* ipsis Cicero in orationibus usus non est[2]), sed similibus, ut: *Hoc si ego non vidissem, si me non omnes noti ignotique monuissent, id agi, id cogitari, in eo elaborari, ut res in illud tempus reiceretur* . . . . (Verr. II, 31). Atque verbum *reiciendi* hic usurpari de re ludis interrupta (c. 30) facile cognoscitur.

Vel: *mitto . . . . haec omnia atque in aliud dicendi tempus reicio* (Ver. III, 59). Cicero igitur illa omnia non incipit neque interrumpit, sed ad aliud tempus transfert. Atque similiter in epistulis scribit, ut Qu. fr. II 15, 3: *Comitia in mensem Septembrem reiecta sunt.*

Si igitur sententia est: *causa reicitur,* causa aut non incipitur aut interrumpitur. At si *causa in ludos conicitur,* causa neque interrumpitur neque non incipitur, sed eam ita duci vides, ut ludis

---

[1]) Koerner, p. 87.

[2]) Merguet IV. p. 265—66.

ipsis agatur. Et verbum *coniciendi* in Caesaris de bello civili libris scriptum videmus: *nostrae naves duae tardius cursu confecto in noctem coniectae* . . . (II 28, 1). Navigatio igitur coepta in noctem continuata est. Eademque fere sententia in his inest: *quod nisi in noctem proelium esset coniectum* (auct. b. Afr. 52); proelium igitur in noctem continuatum est.

Atque hanc sententiam in verbis: *te . . . . in ludos causam conicere noluisse* inesse puto. Verto sic; *Du habest den Prozeß nicht bis in die Tage der Spiele kommen lassen wollen.* Cum enim Planci causa extremo mense Martio ante ludos Megalenses esset, accusator se dixit causam ita ducere noluisse, ut ludis ageretur, ne Cicero *de tensis* diceret. Plancius enim aedilis curulis creatus erat et ei cum collega ludi Megalenses apparandi erant. Eius autem iudicio ludorum apparatus in dubium vocari videbatur atque Ciceronem ea re iudicum animos moturum esse accusator opinatus locum illum communem illudendo praeripuit; qua re monuit, ne de tensis magnifice diceret, ut in aliis aedilibus ante fecisset. In ludis enim Megalensibus, qui erant a pridie Non. Apriles usque ad. a. d. IV. Idus Apriles, pompam fuisse et tensa i. e. curru sacro Magnae Matris simulacrum vectum esse Ovidius testis est (fast. IV, 348)[1]).

Sed haec leviora sunt; gravius est, quod iudicium paucis diebus ante ludos fuisse apparet[2]). Itaque optime omnia convenire videntur, si Planci iudicium extremo mense Martio fuisse censemus ante ludos Megalenses. Atenim dissentiunt, quae ad Ciceronis verba: *deinde effundas repente, ut ante consessum meorum iudicum videam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari, apud eosque me ne quinque quidem reiectis, qnod* ***i n p r o x i m o r e o*** *de consilii sententia constitutum est, cogas causam de fortunis omnibus dicere?* (pro Planc. 16, 40) scholiasta Bobiensis adscripsit: *Jam de sodaliciis causam dixerat P. Vatinius eodem defendente M. Cicerone* (Orelli V, p. 262). Atque hoc testimonio viri docti cum orationis pro Plancio habitae tempus statuebant, maxime nisi sunt, id

---

1) cf. G. Wissowa, Rel. u. Kult. d. R., München 1902, p. 264.

2) Rauschen, p. 56/57.

quod supra (p. 25) explicavi. Ac si ab ipso Asconio ea tradita essent, ne ego quidem dubitarem; propter summas autem dubitationes, de quibus disserui, iis verum Asconi testimonium exhiberi non credo, sed scholiastam falsam rem prodidisse. Meumque est explicare, qui factum sit, ut hanc rem falsam tamquam certissimam proderet.

Neque difficile est causam invenire. Usus enim est Asconi commentario ad orationem Scaurianam scripto, in cuius initio haec videmus: *Hanc quoque orationem eisdem consulibus dixit, quibus pro Vatinio, L. Domitio Ahenobarbo Appio Claudio Pulchro consulibus* (p. 16). Ex his scholiasta hanc conclusionem fecit. Ciceronem illis consulibus duas orationes pro Vatinio et pro Scauro habuisse Asconius prodidit, et eodem anno Planci iudicium fuisse ex Ciceronis oratione, in qua C. Alfium Flavum, eius anni praetorem, Cicero nominavit, apparet. Atqui Scauri causa dicta est de repetundis; ergo ille proximus reus, quem Cicero in oratione pro Plancio habita memorat (16, 40), Scaurus esse non potuit, igitur alius non fuit nisi Vatinius. Vatinium autem ut Plancium de sodaliciis reum factum esse anno LIV. eiusdem solo scholiastae testimonio traditur: neque Ciceronis orationem habemus. Quapropter nihil constat, utrum P. Vatinius re vera ex lege Licinia de sodaliciis accusatus sit an alio crimine. Non dubito, quin ab eodem C. Licinio Calvo postulatus sit, qui eum anno LVI. de ambitu accusavit[1]) et id quidem iterum aliquo ambitus crimine, quia anno superiore, cum Vatinius praeturam consequeretur, consulum artibus non iam postulari poterat[2]). Neque, si revera de sodaliciis ex lege Licinia accusatus est, sequitur, ut ipse proximus reus fuerit, qui ante Plancium de eodem crimine causam dixerat. Nam quamquam quot rei fuerint de sodaliciis ex lege Licinia, antequam Planci iudicium mense Martio esset, dici non potest, tamen alios quoque fuisse, per se veri simile est. Se ipsum proximi rei defensorem fuisse Cicero in oratione non dicit.

Scholiastae igitur de ea re testimonium falsum esse equidem

---

[1]) Lange, III. p. 337.

[2]) Lange, l. s.

credo. Qua re luculentum habemus exemplum, quo eum ex Asconi commentariis descripsisse cognoscamus et Schillingio hanc sententiam defendenti assentior[1].

Sed ut ad Ciceronis epistulas redeamus, res ita se habet. Marcus primo mense Quintili se Scaurum de repetundis reum defensurum esse fratri scripserat. Quod cum Quintus cognovisset, orationem pro Plancio habitam, quam Marcus editurum se esse certe pollicitus erat, recordatus, cum altera a fratre, si confectas haberet, petivit. Neque quo ordine Cicero eas illo loco (III 1, 11) enumeravit, argumentum esse posse de vero earum ordine — id quod Koerner voluit p. 50 —, facile intellegis.

D. De epistula quae est Qu. fr. III 3.

Quoniam in superioribus (p. 20/21; 22) de quadam litterarum intermissione, quae fuerit ab exeunte mense Junio, breviter iam significavimus, nunc accuratius de ea re disserere nostrum erit; atque procedimus ab epistula quae est Qu. fr. III 3.

Ac primum, quo tempore ea epistula scripta sit, his verbis: *Quaeris, quid fiat de Gabinio. Sciemus de maiestate triduo* (c. 3), usus statuam; de qua absolutione in proxima epistula (III 4) scriptum videmus: *Gabinius absolutus est* (c. 1). Atque hanc Cicero a. d. IX. Kal. Nov. conscripsit (c. 6); ergo Gabinius ante hunc diem absolutus est. Neque id factum esse eo ipso die, qui fuit a. d. IX. Kal. Nov., ut Koerner docuit p. 55., ex illis efficitur. Quapropter, si alias res, quae sunt de intervallo L amplius dierum (III 3, 1), praetermittimus, ne epistulae III 3. quidem certtum, quo data est, tempus invenitur, quamquam triduo ante absolutionem eam scriptam esse scimus. Hoc unum dicere licet eam datam esse inter a. d. V. Idus Oct., quo Cicero epistulam 2. misit (c. 1), et a. d. XI. Kal. Nov., triduo ante epistulam 4.

In eiusdem temporis spatium deduci videmur verbis: *Candidati consulares quattuor omnes rei. Causae sunt difficiles, sed enitemur ut Messala noster salvus sit, quod est etiam cum reliquorum salute*

[1]) Schanz, Röm. Litt. I², p. 282.

coniunctum (III 3, 2). Epistula enim III 1. extremo mense Septembri ad fratrem data candidatos illo tempore nondum postulatos esse patet, quia nihil de communi omnium causa memoratur, sed de unius Scauri defensione, qui fuit repetundarum reus. Epistulis autem Kal. Okt. ad Atticum (IV 17, 5) et a. d. V. Id. Oct. ad fratrem (III 2) datis, candidatos ambitus postulatos esse cognoscimus. Accusati igitur sunt deinceps extremo mense Septembri et primo Octobri. Conveniunt cum his ea, quae in epistula III 3. de candidatis fratri Cicero nuntiat. In qua et candidatorum et accusatorum nomina cum omiserit, quia frater ea ex superiore sciebat, et hoc novum adiunxerit se causas eorum suscepisse, iustus rerum progressus cognoscitur, ita ut quae sunt a verbis: *Candidati consulares quattuor* . . . post a. d. V. Id. Oct. scripta esse appareat.

Sed in priore eius epistulae parte res aliter se habent, de qua nunc plura mihi disserenda sunt.

Scriptum enim videmus c. 2: *Nunc cognosce ea, quae sunt in re publica. Comitiorum cotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus magna voluntate bonorum omnium; t a n t a i n v i d i a s u n t c o n s u l e s p r o p t e r s u s p i c i o n e m p a c t o r u m a c a n d i d a t i s p r a e m i o r u m.* De his pactionibus epistula quae est ad Attic. IV 17. plura comperimus: *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse suusque competitor Domitius cum consulibus fecisset . . . . Haec pactio non verbis, sed nominibus et perscriptionibus multorum, tabulis cum esse facta diceretur, prolata a Memmio est nominibus inductis, auctore Pompeio* (c. 2). Non dicam hoc loco de singulis huius pactionis rebus, refert Memmium, quo tempore illa verba a Cicerone scripta sunt, pactionem cum consulibus factam, publice nominibus inductis prodidisse. Atqui inde i. e. a Kal. Oct. de *suspicione* pactorum a candidatis praemiorum dici non poterat, cum res non iam in suspicione, sed omnis pactefacta esset; ergo fieri non poterat, ut Cicero, postquam a. d. V. Id. Oct. epistulam III 2. misit ad fratrem, quae in III 3, 1. de illa pactione insunt, scriberet, sed ea ante Kalendas Octobres scripta esse elucet.

Deinde ex Qu. fr. III 1, 16. de Memmi proditione haec cognosci-

mus: *Quod scribis te audisse in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est. Eius modi enim pactionis in ea coitione factae sunt, q u a s p o s t e a M e m m i u s p a t e f e c i t, ut nemo bonus interesse debuerit.*

Pactio igitur tum iam prodita erat, quaestioque est, quando Memmius eam patefecerit. Atque cum Marcus illa III 1, 16. ad fratrem scriberet, aliquantum temporis praeterisse videtur, ex quo proditio facta est; nam Cicero dicit: *quas postea patefecit;* atque ea scripta sunt, postquam a. d. XIII. Kal. Oct. Romam revertit (III 1, 14) et ante eum diem, qui fuit a. d. IV. Kal. Oct. (c. 23 et 25). Ac si cogitamus a prid. Non. Sept. usque ad a. d. XII. Kal. Oct. ludos Romanos fuisse, quo tempore proditionem fuisse vix creditur, et quae post a. d. XIII. Kal. Oct. Romae gesta sunt deinceps a Cicerone narrari (c. 15—16), Memmium illam pactionem ante hoc tempus in senatu recitasse censendum est. Neque in epistula, quae est Qu. fr. II 15., a. d. XI. Kal. Sept. data, de ea re quidquam inest; quare concludere licet inter a. d. XI. Kal. Sept. et prid. Non. Sept. a Memmio illam proditionem factam esse. Convenit cum his, quod Cicero a. d. XI. Kal. Sept. de rebus atrocissime in senatu actis ad fratrem scripsit (II 15, 2). Itaque quae sunt III 3, 2. de pactione candidatorum a Marco ante Kalendas Octobres et ipsas Septembres scripta sunt.

Quae si ita sunt, de qua re dubitari non potest, epistula III 3. ex duabus partibus alienis constat. Atque priorem partem usque ad verba: *pactorum a candidatis praemiorum* cum altera dissentire etiam aliis argumentis confirmatur. Quae iam deinceps proferam, deinde in quod tempus prior pars transferenda sit, explicabo.

Alterum argumentum his verbis inest: *Sed me illa cura sollicitat angitque vehementer, quod dierum iam amplius L intervallo nihil a te, nihil a Caesare, nihil ex istis locis non modo litterarum, sed ne rumoris quidem adfluxit. Me autem iam et mare istuc et terra sollicitat, neque desino, ut fit in amore, ea quae minime volo cogitare. Qua re non equidem iam te rogo, ut ad me de te, de rebus istis scribas — numquam enim, cum potes, praetermittis — sed hoc te scire volo, nihil fere umquam me sic exspectasse, ut, cum haec scribebam,*

tuas litteras (c. 1). Intervallo illo quinquaginta amplius dierum viri docti, cum temporis rationem perscrutarentur, maxime decepti sunt; epistulam enim hanc a. d. XII. Kal. Oct. datam esse et tum quinquagesimum ipsum diem fuisse litterarum intermissionis putaverunt, cum Caesar postremam epistulam Kal. Sept. (Qu. fr. III 1, 25) e Britannia misisset[1]). Sed hanc sententiam falsam esse nunc videbimus.

Atque omnes illi viri, epistulam III 2. pervestigare praetermiserunt. Ea enim Marcum paulo ante eum diem, qui fuit a. d. V. Id. Oct., litteras a fratre accepisse elucere puto his verbis nisus: *A. d. VI. Id. Oct. Salvius Ostiam vesperi navi profectus erat cum iis rebus, quas tibi domo mitti volueras* (c. 1). Quintus igitur res domo mittendas a fratre petiverat, quae, cum mense Octobri mitterentur, ad usum hibernum fratri nescio an necessariae fuerint. Quaestio est, quando Marcus de his rebus mittendis certior factus sit. Quintum enim, cum primo anno ad Caesarem proficisceretur. de iis mandavisse fratri propterea vix credendum est, quia, apud Caesarem num mansurus esset, tum nesciebat (Qu. fr. II 14, 2 III 1, 9). Qua de causa apparet Marcum paulo, antequam res mitteret a. d. VI. Id. Oct., certiorem factum esse litteris a Quinto datis.

Dicet hic aliquis mandata fortasse in litteris infuisse, quas Marcus in Arpinati a fratre accepit. At Cicero ad res, quae quidem graves fuisse videantur, omnes in litteris Quinti memoratas accurate rescribit (III 1, 8—15), neque quidquam de rebus mittendis in ea epistula inest, quamquam de iis rescribere grave fuisse puto. Atque Marcum, si medio mense Septembri fratris mandata cognovisset, cur res post tantum demum spatium mitteret a. d. VI. Id. Oct., fratri se excusaturum fuisse epistula 2. iure exspectamus. Atqui de rebus sero missis Marcus se non excusat; ergo eas statim misisse videtur, postquam fratris mandata litteris comperit.

Ac ne quis dicat fieri potuisse, ut Caesaris litteris a. d. IV. Kal. Oct. redditis cognosceret. Quintum de his omnino ignorasse, ita ut Caesari mandata committere non posset, Marci verbis (III 1, 25) efficitur.

---

[1]) Bergk, p. 625; Koerner, p. 55; Sternkopf, Hermes 1905, 1 p. 37.

Patere igitur puto Marcum primo mense Octobri de rebus mittendis a fratre certiorem factum esse.

Deinde considerandum est ex Kal. Sept., quibus Caesar illas suas litteras dedit usque ad a. d. V. Id. Oct., quo Marcus fratri scripsit, quadraginta fere dies praeterisse, quo intervallo nisi litteras Marcus a fratre accepisset, non est dubium, quin curam angoremque suum proditurus fuerit, cum epistulam 2. daret. Neque de cura et angore eius quidquam sentitur, ut eo tempore litterarum intermissionem non fuisse iure concludamus. Neque paucis diebus post verba c. III 3, 1., quibus summam de fratris salute curam patefecit, scribere poterat; cum enim paulo ante res missas superiorem epistulam a fratre accepisset, litterarum intermissionis intervallum multo minus L dierum fuit. Unde, quae de eo scripta sunt III 3, 1., cum mense Octobri non conveniunt.

Nondum exquisivi, qua ratione Marcus illud intervallum quinquaginta amplius dierum computaverit, utrum ex quo tempore epistula extrema e Britannia data, an Romae ab eo accepta sit. Per se enim incertum esse potest, atque secutus sum sententiam ab omnibus probatam, qua intervallum ducitur ab illo die, quo litterae e Britannia datae sint. Si enim altera sententia probaretur, res ita se haberet. Caesar et Quintus idem temporis spatium L amplius dierum extremis litteris datis praetermisissent, priusquam proximas darent. Ad hoc accederent XXVIII fere dies, ut nuntius deinde Romam perferretur. Marcus igitur de toto spatio octoginta fere dierum omnino ignorasset, quomodo res fratris se haberent; quae sententia veri similis non est, praesertim cum consideratis rebus a Caesare in Belgica et Britannia gestis vix dici possit, cur per L dies nullum nuntium Romam miserit, cum aliis temporibus eum parvis spatiis interpositis tabellarios misisse Ciceronis litteris cognoscamus. Quapropter prior sententia probanda esse mihi quidem videtur.

Sed redeamus ad rem. Quoniam verba a Marco de illo litterarum intermissionis intervallo scripta (III 3, 1) cum mense Octobri non conveniunt, ad aliud tempus ea referenda et epistulam 3. ex duabus partibus alienis esse iterum constat.

Veniamus at tertium argumentum. De Quinti et Marci pueris

in prima epistula 3. haec breviter scripta videmus: *Valent pueri, studiose discunt, diligenter docentur et nos et inter se amant* (c. 1) et in extrema multo copiosius haec: *Habes fere de omnibus rebus Unum illud addam; Cicero tuus nosterque summe studiosus est Paeonii sui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati et boni. Sed nostrum instituendi genus esse paulo eruditius et θετικώτερον non ignoras. Qua re neque ego impediri Ciceronis iter et illam disciplinam volo, et ipse puer magis illo declamatorio genere duci et delectari videtur, in quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus (eodem enim perventurum esse confidimus), sed tamen, si nobiscum eum rus aliquo eduxerimns, in hanc nostram rationem consuetudinemque inducemus. Magna enim nobis a te proposita merces est, quam certe nostra culpa numquam minus adsequemur* (c. 4). Quos qui duos locos comparaverit, Ciceronem in priore parte, quae postea addidit (c. 4), praetermisisse vix cogitabit; immo priorem locum, qua brevissima verborum ratione scriptus est, cum cura et angore Marci optime congruere sentiet, alterum autem, pleniorem atque uberiorem, animi eius tranquillitatem et hilaritatem quandam significare; qua re a superiore loco omnino alienus est. Ciceronem enim in eadem epistula tam contrariis animi affectibus fuisse, quamquam, qua fuerit in aliis rebus inconstantia, non ignoramus, vix credibile est neque ullum eius rei exemplum in litteris Ciceronianis invenimus. Duos igitur illos locos variis omnino temporibus scriptos esse censemus.

Quartum argumentum hoc est. Si prior pars mense Octobri, quo est altera, scripta esset, Ciceronem, quoniam de fratris salute valde angeretur litterasque ab eo summo desiderio exspectaret, litteris deinde ab eo acceptis, cura quanta fuisset ac quantopere tum gauderet, epistula 4. patefacturum fuisse putares. Atqui in hac epistula nullum eius modi verbum inest; ergo hac epistula 4. priorem tertiae partem ad aliud tempus referri confirmatur.

Addam etiam haec, quae quamquam non sunt gravissima, tamen alicuius nescio an sint momenti. Initio enim epistulae 3. Marcus, quantopere reorum causis occupatus esset, scripsit: *Occupationum mearum tibi signum sit librarii manus. Diem scito nullum esse, quo die non dicam pro reo. Ita quidquid conficio aut*

cogito, in ambulationis tempus fere confero. Atqui neque in superiore epistula 2. neque in proxima 4., quae ab ea paulo distant, eius generis querelae insunt neque causas, quibus omne suum tempus consumeret, memoravit. Gabini enim unum iudicium tum fuisse videtur, in quo Cicero non defensor vel accusator, sed testis fuit (4, 3); ergo eum reorum causis mense Octobri valde occupatum fuisse iis, quae de rebus publicis cognoscimus, non confirmatur. Itaque denuo ad aliud tempus ducimur.

Quibus omnibus argumentis clarum iam videtur esse epistulam 3. ex duabus partibus alienis compositam prioremque multo ante alteram scriptam esse. Ac si demonstrari potest omnes illas res, quas a mense Octobri alienas esse exposui, ad aliud tempus bene referri, certissima res fit.

Videamus nunc, quo tempore prior epistulae 3. pars a Cicerone scripta sit. Atque iis, quae sunt de suspicione pactionis consulum, ante mensem Septembrem iam deducti sumus. Iam cum verba de litterarum intermissione dicta adhibemus, eam partem ante primam epistulam Britannicam a Marco acceptam referendam esse intellegimus. Itaque inter epistulas II 14. et 15. ponenda est. Tum enim longa litterarum intermissio fuit, id quod his rebus patet. Epistula II 15. a. d. XI. Kal. Sept. scripta est (cf. p. 14), postquam paulo ante primae litterae e Britannia advenerunt; epistula autem 14. mense Quintili data elucet extremas Gallicas antea redditas esse, quoniam inter epistulas 14. et 15. nulla alia interest neque tum alias Gallicas advenisse demonstrari potest. Habemus igitur intervallum satis magnum, quo litterarum intermissio fuit. Sed priusquam de ea re accuratius disseram, num aliae res conveniant, inquirendum est.

Atque mense Sextili, antequam epistula II 15. scriberetur, facile fieri poterat, ut de illa pactione consulum et duorum candidatorum clam facta rumores apud homines Romanos essent et suspicio pactorum praemiorum in dies augeretur. Ambitus enim ita ardebat, ut Idibus Quint. faenus fieret bessibus ex triente (Qu. fr. II 14, 4; Att. IV 15, 7). Exeunte ipso mense Quintili Cicero ad Atticum haec gravia scripsit: *Memmium Caesaris omnes opes confirmant. Cum eo Domitium consules iunxerunt, qua pactione,*

epistulae committere non audeo (IV 15, 7). Quae verba cum iis, quae ad Quintum fratrem aliquanto post scripta sunt (III 3, 2), optime congruunt. Animadvertimus praeterea rerum progressum, cum III 3, 2. singulos dies obnuntiationibus sublatos et deinde II 15, 3. comitia in mensem Septembrem reicta esse nuntietur.

Venio ad tertium argumentum. Ciceronem, cum epistulae III 3. priorem partem scriberet, summa de fratris salute cura et angore fuisse verbis eius patet. Quapropter de hoc in proxima epistula II 15. plura ab eo rescripta esse cum nostra exspectatione convenit: *Venio nunc ad id, quod nescio an primum esse debuerit. O iucundas mihi tuas de Britannia litteras! Timebam Oceanum, timebam litus insulae. Reliqua non equidem contemno, sed plus habent tamen spei quam timoris magisque sum sollicitus exspectatione ea quam metu* (c. 4). Hoc uno iam videtur argumento sententia nostra probata esse.

Addo haec: Exeunte mense Quintili Marcus in epistula ad Atticum data (IV 15) verbis usus est: *Ex Quinti fratris litteris suspicor iam eum esse in Britannia. Suspenso animo exspecto, quid agat* (c. 10). Tum igitur illa iam fuisse videtur litterarum exspectatio, quam prodidit fratri III 3, 1. et temporis aliquantum certe praeterierat, ex quo extremam epistulam Gallicam acceperat. Inde usque ad id tempus, quo III 3, 1. scripsit, animi sollicitudinibus exspectatio eius in dies crevit.

Postremo verba haec: *Occupationum mearum tibi signum sit librarii manus. Diem scito esse nullum, qno die non dicam pro reo* (III 3, 1) idem tempus significant, quod verba: *Cum a me litteras librarii manu acceperis, ne paulum ⟨quidem⟩ me otium habuisse iudicato, cum autem mea, paulum. Sic enim habeto numquam me a causis districtiorem fuisse . . .* (II 15, 1). Mense enim Sextili Cicero Drusi, Vatini, Scauri defensiones parabat (Qu. fr. II 15, 3). Itaque alter locus altero tenetur.

Quibus rebus demonstratis priusquam ad intervallum L dierum computandum accedo, difficultas quaedam mihi tollenda est. Scriptum enim videmus: *Expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus; sed tua ad perfectum iam res rustica Arcani et Laterii. Praeterea de aqua, de via nihil praetermisi quadam epistula quin enucleate ad*

te perscriberem (III 3, 1). Tyrrell et Purser (vol. II p. 160, adnot.) omnesque ceteri epistulam 3. unam putantes ea ad III 1. referri censuerunt, quia de similibus rebus plura in hac scripta essent. Atenim, si verba quae sunt III 3, 1. ante epistulam III 1. scripta sunt, id quod certissimis argumentis mihi demonstratum est, ea sententia falsa est et illa verba ad aliam epistulam referuntur; qua re quam non necessario ad III 1. referantur, accuratius ostendam. Perspiciamus singulas res.

Ac primum quidem videmus: *Expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus.* Quae quin scripta sint de Quinti et Marci domibus urbanis non est dubium. Aedificationem enim domorum a Clodianis, cum Marcus exul esset, dirutarum et aliis de causis et tumultibus publicis (cf. Att. IV 7, 3) in annum LIV. dilatam esse multis epistularum locis cognoscitur[1]). Quare ne Septembri quidem expolitiones perfectae erant, ut patet Qu. fr. III 1, 6. In verbis autem: *expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus* sententia inest: *domus nostrae expoliuntur*, quae, cum mense Sextili scriberetur, aliena minime dici potest.

Ac ne in proximis verbis: *sed tua ad perfectum iam res rustica Arcani et Laterii,* partim obscuris, vera difficultas inest. Cuius loci, qui corruptus certe est, emendationes alii alias protulerunt. Wesenberg hanc tentavit: *et tua perfecta iam res rustica.* Neque tamen emendatio ab omnibus probata inventa est. Sed, ut illam Wesenbergi probemus, difficultatis vix quidquam oritur. Cicero enim primo mense Septembri, cum Arcanum et Laterium inspiciebat (III 1), omnes fere res in iis perfectas invenit. *In Arcano a. d. IV. Id. Sept. fui. Ibi Mescidium cum Philoxeno aquamque, quam ii ducebant non longe a villa, belle sane fluentem vidi, praesertim maxima siccitate, uberioremque aliquanto se collecturos esse dicebant* (III 1, 1). Res igitur Arcani tamquam perfectae erant neque minus Laterii (c. 4—6). Unde fieri poterat, ut iam aliquanto temporis ante de rebus Arcani et Laterii perfectis a redemptoribus certior fieret et deinde ad fratrem scriberet.

Restant verba: *Praeterea de aqua, de via nihil praetermisi*

---

1) Qu. fr. II 2, 2; 3, 7; 4, 2; 5, 3; Att. IV 10, 2.

quadam epistula quin enucleate ad te perscriberam interpretanda. Quibus efficitur, ut eadem illa epistula, quam ante III 3, 1—2. de villarum rebus ad fratrem Marcus misit, de viae et aquae in villis ducendae difficultate scripserit. In Arcano enim, ut postea vidit, aqua minor fluebat, ut Mescidius et Philoxenus uberiorem se aliquanto collecturos esse promitterent; in Laterioque, cum via et aqua duceretur, et loci iniquitas et vicinorum iuhumanitates superandae erant. Quae difficultates, cum ab initio non satis provisae essent, inter aedificandum ortae videntur esse neque veri dissimile est putare de his quoque Marcum, priusquam quae sunt III 3, 1—2. scriberet, a redemptoribus certiorem factum esse. Quod cum comperisset, fratri nuntiasse videtur; postea autem in villis difficultates partim sublatas invenit iterumque, quomodo res se haberent, epistula III 1. fratri rettulit. Sic omnia bene stare videntur.

Quaenam fuerit illa epistula de rebus rusticanis scripta pro certo dici non potest, quia nullam ante III 1. habemus, in qua de iis scriptum est. Equidem epistulam II 14. fuisse opinor, cum integra non sit et in extrema, quae perisse videtur, parte res privatas infuisse haud sine probabilitate coniciamus.

Omnia nunc videntur esse parata, ut accuratius statuamus, qua ratione intervallum L amplius dierum, quo Quinti et Caesaris litterae intermissae sunt, ex illo temporis spatio computetur. Atque invenimus primas litteras Britannicas circa a. d. XIII. Kal. Sept. redditas (cf. p. 15) et Caesarem a. d. XI. Kal. Sext. in Britanniam exercitu profectum esse. Hoc igitur XXVIII dierum spatio nuntius Romam non est perlatus. Ac quoniam Ciceronem intervallum L amplius dierum ex eo tempore ducere, quo extrema e Gallia missa est epistula, supra (p. 36) conclusimus, ab a. d. XI. Kal. Sext. viginti fere quinque dies deducendi sunt; pervenimus sic in extremum mensem Iunium, ex quo tempore litterarum intermissionem fuisse conicimus. Moneo autem Ciceronem quae sunt III 3, 1—2. non ipso a. d. XIII. Kal. Sept., sed aliquanto temporis ante scripsisse; quantum tempus intercesserit accurate dici non potest, forte V vel plures dies fuerunt neque, quominus maius spatium statuamus, prohibemur.

Totius enim rei quasi cardo in eo versatur, ut certo sciamus, quando extrema epistula Gallica data sit; quapropter hoc prius investigandum est.

Marcus enim, priusquam epistulam II 14. scriberet, a Quinto extremam Gallicam accepisse videtur, id quod verbis cognoscitur: *Scribis enim te meas litteras superiores vix legere potuisse* (c 1). Certe mense Quintili Romae ea reddita est, quia Marci illa epistula post Idus i. e. extremo mense Quintili rescripta est, neque accuratius tempus explorari potest. Atqui quae Quintus de fratris *litteris superioribus* scripsit non ad epistulam II 13. referri supra conclusimus (p. 23—24); ergo ne ea quidem epistulae II 13. terminus statuitur. Significare enim videtur Quintus epistulam inter II 12. et II 13. scriptam (cf. ibidem), quae fortasse iam medio mense Junio in eius manibus fuit. Cum ad eam rescripsisset e Gallia, litterae intermittebantur. Itaque intervallum L amplius dierum, quo Marcus valde angebatur, inde facile ducitur.

Postremo inquiram, qui factum sit, ut illo tempore litterae intermitterentur; quod fuit ab a. d. XI. Kal. Sext., quo navigatio facta est, tempus, hic omittere licet; reliquam autem viginti fere quinque dierum ex rebus Gallicis facile explicatur. Caesar enim, priusquam in Britanniam traiceret, in portu Itio, quo exercitum coegerat, propter Cori venti iniquitatem XXV fere dies retinebatur (bell. g. V, 7). Quo spatio litterae videntur intermissae esse, id quod certe factum est Caesaris imperio, cui eo facilius obsequebantur, quod eius tabellarii soli nuntios Romam pertulerunt. Ante illam enim XXV dierum commorationem a Caesare et Quinto aliisque litteras extremas Gallicas Romam datas esse censemus; tum proximis diebus exercitum traiectum iri sperabatur. Cum autem Corus ventus ortus esset, mora in dies maior facta est neque Caesar nuntium mitti voluit, ne homines Romani de commoratione certiores facti falsos rumores anxiosque funderent, quia superiore ipso anno exercitus navigatione Britannica multa detrimenta ceperat; praeterea primo quoque tempore litteras Britannicas perferri posse sperandum erat. Ita Marco dierum amplius L intervallo nihil a fratre, nihil a Caesare adfluxit (III 3, 1) et, cum aliquantum temporis frustra exspectavisset, ita

ut cura eius in dies augeretur, sua sponte litteras, ex quibus prior reliqua est pars (III 3, 1—2), tabellario dedit, quem aut ipse misit aut Caesaris amici Romani. Deinde a. d. XIIII. Kal. Sept. primae Britannicae litterae redditae sunt.

Constat igitur epistulam quae est Qu. fr. III 3. adhuc unam duabus ex partibus compositam esse, quarum altera (1—2) medio fere mense Sextili, altera (2—4) medio fere Octobri scripta est. Habemus igitur duarum epistularum reliquias; alteris (1—2) deest finis, alteris (2—4) initium. Atque interpolatoris manu artificiose conglutinatae sunt.

Pars. II.

De primis epistulis a Tullio anno a. Chr. n. LIV. ad Trebatium datis.

Quibus temporibus scriptae sint epistulae, quas M. Cicero primas anno a. Chr. n. LIV. ad Trebatium familiarem, iurisconsultum, cum is apud Caesarem in Gallia esset, misit, viri docti accuratius inquirere diu praetermiserunt; satis habuerunt aliquam saltem temporis rationem rebus, quae in epistulis illis insunt, detexisse, qua re factum est, ut Tyrrell et Purser, cum Ciceronis epistulas ederent, miro quodam modo eas inter ceteras disponerent (vol. II). Primusque, quantum scio, diligentius rem deinde perscrutatus est Koerner, qui vir ut in ceteris rebus ita in his inquirendis diligentia necessaria usus esse mihi quidem non est visus. Neque plus luminis attulit Rauschen, qui ipse quoque nonnulla de iis disseruit. Quorum sententias viri docti fere secuti sunt[1]). Neque tamen res omnes claras esse docebo. Atque in his epistulis ad Trebatium datis singulares quasdam temporis rationis difficultates inesse facile concedo, quia res publicae, quibus uti liceat, non memorantur neque plurimis adscripta est dies ulla. Itaque, si illam rationem statuere volumus, eo accuratius quae perpauca indicia insunt, ea nobis perscrutanda sunt. Atque incipiamus a prima epistula.

A. De epistula VII 6.

Koerner statuit epistulam quae est fam. VII 6. exeunte mense Maio (p. 40—41), Rauschen autem primo illo mense datam esse (p. 52); recte viderunt usui esse verba: *In omnibus meis epistulis,*

---

[1]) L. Mendelsohn, M. Tulli Ciceronis epistularum libri XVI. 1893; C. F. W. Mueller, pars. III vol. 1.

quas ad Caesarem aut ad Balbum mitto, legitima est quaedam accessio commendationis tuae (c. 1). Quintus enim, quo tempore ea scripta sunt a Marco, nondum videtur Roma profectus esse, quia Marcus etiam fratris commendationem memoraturum fuisse credo, ut postea fecit: *Multum te in eo frater adiuvabit meus, multum Balbus* (VII 7, 2). Atqui Quintum circa Idus Apriles Roma discessisse conclusimus (p. 7); ergo eam epistulam paulo ante i. e. primo mense Aprili datam esse equidem censeo. Tum igitur Trebatius iam abierat, id quod epistula quae est Qu. fr. II 13. confirmatur, qua eum aliquantum temporis apud Caesarem fuisse cognoscitur, cum Quintus veniret. Non credo Trebatium solum iter fecisse, sed una cum Balbo, qui adulescenti maxime favebat (fam. VII 5, 2; 7, 1).

Coniuncta est cum his altera de epistulae VII 5. temporis ratione quaestio. Patet enim eam epistulam commendaticiam Trebatium secum portasse ad Caesarem. Quare ipsa quoque primo mense Aprili videtur scripta esse.

B. De epistula VII 8.

Ut temporis rationém epistulae VII 8. statuerent Koerner et Rauschen verbis: *Ego vestras Britannicas litteras exspecto* (c. 2) usi sunt. Comparaverunt enim ea, quae Marcus exeunte mense Quintili ad Atticum scripsit: *Ex Quinti fratris litteris suspicor iam eum esse in Britannia. Suspenso animo exspecto, quid agat* (IV 15, 10). His, quae videntur similia esse, conclusit Koerner (p. 42) Trebati illam epistulam exeunte mense Quintili, Rauschen vero primo Sextili datam esse (p. 56). Hanc autem argumentationem levissimam esse facile intellegitur. Res enim ad bellum Britannicum pertinentes in omnibus fere epistulis, quas Marcus post a. d. III. Non. Iun., quo fratris apud Caesarem adventum cognovit, et accepit et dedit, infuisse veri simile est. Itaque Marcus et rerum et epistularum Britannicarum exspectatione per totos menses et Iunium et Quintilem et Sextilem, dum primae ex illa regione perlatae sunt litterae a. d. XI. Kal. Sept., occupatus fuisse videtur; primo enim mense Aprili iam in Trebatí epistula VII 6. de rebus Britannicis iocatus est (c. 2). Unde verba: *Ego vestras Britannicas litteras*

exspecto exeunte iam mense Iunio scribi poterant neque habemus, cur alio posteriore tempore ea scripta esse censeamus. Qua re in hac quaestione diiudicanda inutilia fere sunt.

Videamus nunc, meliorem num habeamus eius rei ausam. Atque scriptum videmus: *Scripsit ad me Caesar perhumaniter nondum te sibi satis familiarem propter occupationes suas, sed certe fore* (c. 1). Quaeritur, Caesar quando *perhumaniter* de Trebatio ad Ciceronem scripserit. Miro modo id cognosci videtur epistula Qu. fr. II 13; haec enim in ea insunt: *Trebatium quod ad se miserim, persalse et humaniter etiam gratias mihi agit; negat enim in tanta multitudine eorum, qui una essent, quemquam fuisse, qui vadimonium concipere posset* (c. 3). Caesar igitur litteris a. d. III. Non. Iun. Marco redditis, quam suavis Quinti sibi fuisset adventus (Qu. fr. II 3, 1) aliaque humanitatis multa verba et de Trebatio, quae attuli, scripserat. Quam Caesaris epistulam eandem fuisse ac quae in Trebati epistula VII 8. memoratur demonstrari posse puto.

Ac primum quidem altero loco (Qu. fr. II 13, 3) Caesarem de Trebatio gratias egisse verbis ipsis cognoscitur, ex altero vero (fam. VII 8, 1) idem concludendum est. Caesar enim, ut eo patet, quod familiaris nondum satis sibi esset Trebatius, Ciceroni se excusaverat. Vix credere licet eum iam antea de Trebatio misso scripsisse, quia, si scripsisset, eius modi excusatione: *nondum [Trebatium] sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore,* Ciceronis animum facile offendisset, id quod tum summa arte vitavit. Qua re locus hic sic intellegendus est, ut Caesarem tum primum de eo ad Marcum scripsisse censeamus et id quidem iisdem litteris, quibus de Quinti adventu gaudium suum prodidit. Facile enim fieri poterat, ut, quod et fuit de Trebatio rescribendi officium, usque ad Quinti adventum reiceret et tum iisdem litteris et de Trebatio et de Quinto misso gratias ageret.

Deinde duobus illis locis et Qu. fr. II 13, 3. et fam. VII 8, 1. iisdem fere verbis Caesaris scribendi rationem Cicero significavit. Dicit enim altero loco (Qu. fr. II 13, 3) Caesarem scripsisse *persalse et humaniter*, altero *perhumaniter.* Itaque easdem Caesaris litteras significare iure concludimus.

Quae si ita sunt, bonam, qua temporis rationem statuamus,

ansam habemus. Patet enim ad Trebatium Ciceronem litteras illas (VII 8) dedisse proximas, cum a. d. III. Non. Iun. Caesaris accepisset. Neque eodem tempore, quo ad Quintum fratrem epistulam II 13. et ad Caesarem, qua tribunatum Curtio petivit (cf. p. 21) misit, illam Trebati dedit; in hac enim scriptum videmus: *Cui quidem ego rescripsi quam mihi gratum esset futurum, si quam plurimum in te studii, officii, liberalitatis suae contulisset* — haec infuerunt in epistula, quam statim ab a. d. III. Non. Iun. ad Caesarem misit, qua tribunatum Curtio petivit —, *Sed ex tuis litteris cognovi praeproperam quandam festinationem tuam, et simul sum admiratus, cur tribunatus commoda dempto praesertim labore militiae contempseris* (c. 1). A Trebatio igitur, postquam Cicero epistulam II 13. ad Quintum et alteram ad Caesarem dedit, litterae venerunt, quibus tribunatum a Caesare oblatum a familiari contemptum esse Marcus cognovit. Et ad eas rescripsit quae sunt VII 8.

Neque enim illae litterae a Trebatio missae una cum Quinti et Caesaris a. d. III. Non. Iun. redditae sunt, quia, si una redditae essent, etiam eodem tempore e Gallia datae essent. Tum enim familiaris tribunatum iam reiecisset neque Caesar, cum de eo scribebat, tam humaniter et persalse iocari neque Ciceroni postea rescribere licuisset ad Caesarem, quam gratum sibi esset futurum, si quam plurimum in familiarem studii, officii, liberalitatis suae contulisset. Trebatius enim tum Caesaris liberalitatem reiecisset. Dubium igitur non est, quin Cicero Trebati litteras post a. d. III. Non. Iun. acceperit. Atque quam Cicero deinde ad eum rescripsit (VII 8) proximam fuisse patet. Hanc ad mensem Quintilem vel ipsum Sextilem — id quod Koerner et Rauschen voluerunt — transferre minime licet, quia extremo Quintili proxima epistula VII 7., ut postea videbimus, data est. Itaque errare non videmur, si eam extrema mense Iunio missam esse censemus. Tum verba: *Ego vestras Britannicas litteras exspecto* Cicero iure scripsit.

C. De epistula VII 7.

Inquiramus nunc, quando epistula VII 7. a Cicerone data sit. Quod ut diiudicemus, duobus eius locis utor. Alter est hic: *Illud*

soleo mirari non me totiens accipere tuas litteras, quotiens a Quinto mihi fratre adferantur (c. 1). In his verbis obiurgatio quaedam familiaris inest. Atque ea tum demum iusta fuit, cum eum ex longiore tempore cum Quinto una esse Marcus sciebat. Ergo post a. d. III. Non. Iun., quo illud Marcus primum cognovit, scripta sunt et id quidem magno interposito intervallo, quo litterae a Quinto redditae, a Trebatio autem intermissae sunt praeter unam illam, quam Cicero post a. d. III. Non. Iun. ab eo accepit. Ac ne tum quidem, cum epistulam VII 7. scripsit, litterae ab eo venerant, id quod his patet: *Ego te commendare non desisto, sed quid proficiam, ex te scire cupio* (c. 1). Ea Cicero scribere non potèrat, si paulo ante epistulam a Trebatio accepisset, quia ea ipsa facile cognovisset, quid proficeret. Trebatio enim aliquo modo de rebus suis nonnulla scribenda fuerunt. Ex his efficitur epistulam VII 7. aliquanto temporis post 8. datam esse; pervenimus igitur ea ratione in mensem Quintilem.

Venio ad alterum locum interpretandum. *In Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti. Id si ita est, essedum aliquod capias suadeo et ad nos quam primum recurras. Sin autem sine Britannia tamen adsequi, quod volumus, possumus, perfice, ut sis in familiaribus Caesaris* (1—2). Latent sub his verbis obscurioribus duo consilia a Cicerone data, alterum hoc fere: *Quoniam tu in Britanniam proficisi non vis vel profectus non es* — has duas sententias primum sequi licet —, *essedum aliquod capias suadeo et ad nos quam primum recurras.* Et tamquam familiarem excusaret, addidit: *Dolendum tibi non est, quod in Britanniam iter non fecisti, quia, ut audio, nihil ibi est auri neque argenti.* Utrum haec extrema iocose an serio dicta sint, nihil refert; certe Trebatius, ut alii nobiles iuvenes, quo tempore cum Caesare erat, divitias sibi congerere studebat; de hoc enim eius studio Cicero postea iocatus est verbis: *Balbus mihi confirmat te divitem futurum. Id utrum Romano more locutus sit, bene te nummatum futurum, an quo modo Stoici dicunt, omnes esse divites, qui caelo et terra frui possint, postea videro* (VII 16, 3). Sed haec hactenus. Non aliter illa quae attuli verba interpretanda esse puto, velut: *Quoniam in Britannia nihil auri neque argenti est, essedum capias suadeo et ad*

nos e Britannia recurras. Neque enim Trebatius umquam in insula fuit, ut postea comperimus (9, 1; 16, 1; 10, 2).

Quae Cicero his familiari suasit, admirationem nostram movent; dicit enim .condicione quadam adiuncta: *E Gallia ad nos Romam redi.*

Alterum autem consilium facilius intellegitur. Sententia est: *Tu, si in Gallia, cum Caesar aliique familiares fere omnes in Britannia sint, remanere vis, mane et perfice, ut Caesaris familiaritatem consequaris.* Non igitur agebatur, Trebatius utrum in Britanniam profecturus esset necne, quia Ciceronem ei suasurum fuisse puto, ut in insulam una proficisceretur, sed, utrum in Gallia mansurus an Romam reversurus esset. Qua re in illud tempus ducimur, quo omnino inutile fuit suadere, ut iter Britannicum faceret. Litteris enim et superioribus et proximis semper eum, ut constantiam praestaret, monuit. *Tu mode ineptias istas et desideria urbis et urbanitatis depone et, quo consilio profectus es, id assiduitate et virtute consequare* (6, 1). *Quin tu urges istam occasionem et facultatem, qua melior numquam reperiatur* (8, 2). *Nam primorum mensium litteris tuis vehementer commovebar, quod mihi interdum — pace tua dixerim — levis in urbis urbanitatisque desiderio, interdum piger, interdum timidus in labore militiari, saepe etiam, quod a te alienissimumst subimpudens videbare* (17, 1) et deinde: *Pluribus te hortari non debeoi ntatum moneo neque amicitiae confirmandae clarissimi et liberalissim; viri neque uberioris provinciae neque aetatis magis idoneum tempus, si hoc amiseris, te esse ullum umquam reperturum* (c. 3). Intellegimus igitur molestissimum ei fuisse, cum epistulam 7. scribebat, familiari suadere, ut Romam reverteretur aut in Gallia maneret, cum antea speravisset eum in Britanniam iturum esse: *Tu qui in ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto* . . . . . . (6, 2). *Ego vestras Britannicas litteras exspecto* (8, 2). Haec verba exeunte mense Iunio scripta videntur esse. Itaque Ciceronem post id tempus Balbi aut Quinti fratris litteris de Trebatio in Gallia remanente certiorem factum esse cognoscimus; neque enim Trebatius ipse tum scripserat, ut primis eius epistulae 7. verbis

elucet. Atque illae litterae Gallicae certe extremo mense Iunio ante illam litterarum intermissionem (cf. 41—42) datae erant, postquam Quintus, ex quo tempore una cum Trebatio erat, plures spatiis quibusdam interpositis litteras ad fratrem misit. Trebatius enim antea Caesaris tribunatum repudiaverat neque a principio rebus bellicis delectatus erat. Cum autem in portum Itium venisset et navigationis et belli Britannici pericula sensisset, ut in hominibus urbe urbanitateque adsuetis fieri solet, timore quodam captus — Cicero de hoc postea iocatus est (VII 10, 2) — consilium itineris in Britanniam faciendi omnino abiecisse videtur. Ita bene intellegitur, cur tribunatum reiecerit et litteras deinde ad patronum suum dare praetermiserit.

Si igitur Trebatium in Gallia remansurum esse post medium demum mensem Iunium, id quod veri simile est, constabat, Cicero hoc sciebat mense ipso Quintili. Sequitur, ut epistula 7. hoc tempore ab eo data sit. Non creditur eam post Quinti epistulam II 14. missam esse, quoniam, quo tempore illum de familiari acceperat nuntium, epistulam 7. ad eum recte perlatum iri sperare ei licebat; postea incertum erat, quia Trebatium aut locum mutaturum aut Romam iam rediturum esse ei sperandum erat. Fortasse litteras 7. una cum Quinti epistula II 14. in portum Itium misit, ut Quinti epistula inde in Britanniam perferretur, et Trebatio, si ipse eo loco esset, sua redderetur, aut ad eum, si discessisset in alium Belgicae locum, eo mitteretur. Per duos menses Ciceronem, ubi familiaris esset, omnino ignorasse, proxima epistula 9. cognoscimus.

His explicatis epistulam 7. post 8. mense Quintili, fortasse extremo una cum Quinti epistula II 14. a Cicerone datam esse equidem puto.

D. De epistula VII 9.

Quo tempore epistula 9. ad Trebatium data sit, ut cognoscamus, haec verba inspicienda sunt: *Iam diu ignoro quid agas; nihil enim scribis neque ego ad te his duobus mensibus scripseram. Quod cum fratre non eras, quo mitterem aut cui darem, nesciebam*

(c. 1). Primum non quaeram, quinam fuerint illi duo menses — ex superiore enim epistula haud difficulter statuitur — sed alia via qua huius epistulae temporis rationem inveniamus, progrediar.

Atque Marcum tum alterius cuiusdam litteris de Trebati fortuna, non ab ipso certiorem factum esse verbis: *nihil enim scribis* patet. Hac ratione etiam, quo epistula 9. mittenda esset, cognovit. Atqui a Trebati amicis Romanis id scire non poterat, quia nullam Trebati epistulam tum advenisse credendum est; ergo aut a Balbo aut a Quinto fratre certior factus est, quae litterae e Britannia latae erant et eae quidem post a. d. XIII. Kal. Sept., quo fere tempore primae Britannicae venerunt.

Neque veri dissimile est putare Ciceronem, cum in Arpinati maximam illam epistulam (III 1, 8) una cum ceteris accepisset, primum aliquid de Trebatio comperisse. Neque enim, quae antea redditae erant litterae circa a. d. XIII. Kal. Sept. et deinde a. d. XI. Kal. Sept. (p. 14—15), eiusmodi nuntium habuisse videntur, quia neque multum temporis ad scribendum tum Quinto fuisse supra (p. 22) conclusimus neque Marcus ullo verbo epistulae II 15. Trebati res memorat. Quod argumentum, quod dicitur *ex silentio*, quamquam non est gravissimum, tamen cum epistula III 1. et ea quae est fam. VII 7. bene convenit. In epistula enim ad Quintum data III 1., primum Trebati nomen nobis exhibetur: *In Hippodamis et non nullis aliis arcessendis quid cogites non intellego. Nemo istorum est, quin abs te munus fundi suburbani instar exspectet. Trebatium vero meum quod isto admisceas nihil est. Ego illum ad Caesarem misi, qui mihi iam satis fecit. Si ipsi minus, praestare nihil debeo, teque item ab eo vindico et libero* (c. 9). Quid Quintus de Trebatio facere voluerit, satis non apparet; opinor eum prohibere studuisse, ne Trebatius rediret e Gallia. Cum enim litteris deinde a Trebatio acceptis animi eius mutationem cognovisset, ad familiarem Marcus rescripsit: *Ex tuis litteris et Quinto fratri gratias egi et te aliquando collaudare possum, quod iam videris certa aliqua in sententia constitisse* (VII 17, 1). Illa autem epistula ad Quintum data (III, 1) fratris studium quasi inutile, significat eumque ab omni in familiarem officio liberat.

Quae verborum ratio convenire videtur cum iis, quae ad

Trebatium epistula 9. rescripta sunt et ea quidem brevissimis sententiis. *Tibi deesse noli; serius potius ad nos, dum plenior. Quod huc properes, nihil est, praesertim Battara mortuo. Sed tibi consilium non deest; quid constitueris, cupio scire* (c. 2). Eundem, quem in epistula III 1. ad fratrem data novimus, animum indignationis plenum, officio autem, quod ei fuit in familiarem, moderatiorem facile sentimus. Iure igitur concludi posse credo, hanc epistulam a Cicerone scriptam esse, postquam fratris illa epistula maxima (III 1, 8) reddita est.

Ad hoc argumentum alterum adiungam. Utor enim verbis: *Cupio scire, quid agas et ubi sis hiematurus; equidem velim cum Caesare, sed ad eum propter eius ⟨luctum⟩ nihil sum ausus scribere* (9, 1). Post verbum *eius* in codicibus lacuna est, quae ab aliis verbo *occupationem,* ab aliis vero *luctum* expleta est. Neque illa emendatio propterea probanda est, quia Ciceronem non ausum esse scribere ad Caesarem *propter eius occupationem* nullo litterarum loco cognoscimus. Deinde lacunam in codice T esse sex litterarum Tyrrell et Purser auctores sunt (vol. II p. 137). Postremo in epistula quae est Qu. fr. III 1. haec scripta videmus: *Ex Britannia Caesar ad me Kal. Sept. dedit litteras, quas ego accepi a. d. IV. Kal. Oct. . . . . . Ad eas ego ei litteras nihil resscripsi ne gratulandi quidem causa propter eius luctum* (c. 25). Hic igitur habemus significatum, cur Cicero non ausus sit rescribere ad Caesarem. Itaque emendatio *propter eius luctum* in epistulam quae est fam. VII 9. iure recepta est. Ex eo efficitur, ut duos hos locos eodem fere tempore scriptos esse censeamus.

Epistula igitur ad Trebatium data VII 9. una cum Quinti III 1. extremo mense Septembri videtur missa esse, ac si inde duos menses, quibus litteras se non dedisse Cicero scribit (9, 1), deducimus, ad extremum Quintilem, quo superior (IV 7) scripta est, pervenimus. Res igitur omnes bene convenire videntur.

E. De epistula VII 17.

Restat, ut investigem, quando proxima epistula VII 17. data it. Animumque vertamus ad prima eius verba: *Ex tuis litteris*

et Quinto fratri gratias egi .... Litteris enim a Trebatio redditis fratris de familiari studium inutile non fuisse cognovit. Trebatius enim animi mutatione facta *desideria urbis urbanitatisque* (VII 6) abiecerat et in hibernis apud Caesarem manere constituerat. Atque Trebati epistula postquam Cicero superiorem 9. misit, Romam perlata est.

Ut igitur, quando epistula 17. data sit, inveniamus litterae inde ad fratrem datae perscrutandae sunt. In quibusdam enim Cicero de Trebatio fratri gratias egit, ut supra vidimus. In epistulis III 2. et 4., quae videntur integrae esse, nihil eiusmodi inest neque in proximis, quas praetermitti licet, id scriptum est. Reliqua igitur sola est epistula 3., cuius alteram partem servatam habemus, atque facile fieri poterat, ut in priore parte, quae periit, Marcum fratri de eius in Trebatium studio gratias agere scriptum esset. Cum hoc enim tempore convenit, quod Cicero e Trebatio quaerit, ubi hiematurus sit, non, ubi hiemet.

Itaque concludendum est epistulam quae est fam. VII 17. una cum Quinti III 3. medio fere mense Octobri missam esse. Idemque statuit Koerner arbitrio solo ductus (p. 56).

Pars III.

Tabula rerum temporibus dispositarum.

Postremo quas statui rerum, ut temporis ordo facilius perspiciatur, tabulam adiungam neque in rebus singulis ea congestis maiorem aut minorem certitudinem inesse contendo, quam libello meo ipso, cuius paginae significantur, probata sit.

Mense Martio

1. primo altera comitia aedilicia (p. 28);
2. extremo Planci iudicium (p. 30).

m. Aprili

1. primo proficiscitur Trebatius Roma; simul datur fam. VII 5 (p. 45);
2. deinde ante Idus fam. VII 6 (p. 44—45);
3. circa Idus Quinti Ciceronis profectio (p. 7);
4. extremo Marcus Romae primam Quinti epistulam accipit (p. 7);
5. deinde Marcus in villas discedit (p. 8).

m. Maio

1. primo fere Trebatius venit ad Caesarem (p. 45);
2. litterae Quinti Arimino datae in Cumano vel Pompeiano redduntur (p. 7—8);
3. deinde a Marco mittitur Qu. fr. II 12 (p. 8);
4. circa a. d. V. Idus Quintus Caesarem convenit Andematunni litterae ab eo et a Caesare dantur (p. 6—7);
5. extremo epistulam quandam a Marco e villa datam esse concluditur (p. 23—24).

m. Iunio

1. statim ab a. d. III. Non. Iun. a Marco scribitur Qu. fr. II 13, postea autem a Balbo mittitur (p. 22);
2. deinde Marcus accipit epistulam a Trebatio datam (p. 47).
3. extremo dat fam, VII 8. (p. 47);
4. extremo epistula Gallica mittitur, Quinti et Caesaris litterarum intermissio incipit (p. 41—42).

m. Quintili

1. circa Nonas Iulia mortem obit (p. 19);
2. deinde Marcus scribit ad fratrem de Scauri causa (p. 24) et de Iulia (p. 19);
3. post Idus extrema epistula Quinti Gallica Romae redditur (p. 42—43).
4. a. d. XI. Kal. Sext. traiectio Britannica (p. 15);
5. a. d. X. Kal. Sext. primae litterae Britannicae mittuntur (p. 15)
6. extremo Qu. fr. II 14. et fam. VII 7. scribuntur (p. 50).

m. Sextili

1. Kal. Sext. Caesar de Iulia mortua certior fit (p. 19); tabellarii mittuntur (p. 18);
2. ante eum diem, qui fuit a. d. IV. Id. plures epistulae a Quinto una e Britannia mittuntur (p. 22);
3. circa Idus scribuntur Qu. fr. III 3, 1—2 (p. 41);
4. a. d. XIII. Kal. Sept. fere primae litterae Brit. Marco et Quinti familiae redduntur (p. 15);
5. a. d. XI. Kal. Sept.
   - tabellarii litteras reddunt Marco et Quinti familiae (p. 14);
   - Qu. fr. II 15 et III 1, 17—20 a Marco scribuntur (p. 15);
   - Drusi et Vatini iudicium (p. 15);
6. inter a. d. XI. Kal. Sept. et prid. Non. Sept. Memmius pactionem; cum consulibus factam in senatu recitat (p. 34);

m. Septembri

1. primo Marcus, antequam in villas discederet, litteras ad fratrem misisse videtur (p. 19—20);

2. paulo post a. d. IV. Kal. Oct. dantur Qu. fr. III 1. et fam. VII 9. (p. 52).

m. Octobri

1. paulo ante eum diem, qui fuit a. d. VI. Idus Marcus litteras a fratre accipit (p. 35—36);
2. paulo post a. d. VI. Idus Marcus Trebati epistulam accipit (p. 53);
3. inter a. d. V. Idus Oct. et a. d. XII. Kal. Nov. a Marco scribuntur Qu. fr. III 3, 2—4 (p. 32—33) et fam. VII 17 (p. 53.)

Pars IV.

Conspectus locorum.

[numeri uncis inclusi paginas commentationis, ubi argumentationi sunt loci, significant.]

a) Qu. fr. II 2, 1 (10); 11, 3 (28); 12, 1 (2; 4); 12, 3 (8); 13, 1 (2); 13, 3 (5–6; 21; 46); 13, 4—5 (26); 14, 1 (23; 42); 15, 1 (13; 39); 15, 3 (13); 15, 4 (39);
III 1, 1 (40); 1, 7 (12); 1, 8 (22); 1, 9 (22; 23; 51); 1, 10 (21); 1, 11 (24); 1, 14 (9, 12); 1, 15 (9); 1, 16 (11; 34); 1, 17 (9; 10; 15—16; 17); 1, 18 (9); 1, 19 (10; 11—12); 1, 21 (11); 1, 25 (15; 16; 52); 2, 3 (11); 3, 1 (10; 34—35; 37; 37—38; 39; 39—40); 3, 2 (33); 3, 3 (32); 3, 4 (12; 37); 4, 1 (32).

b) ad Attic. IV 13, 1 (28); 14, 1 (1); 15, 7 (38—39); 15, 9 (27); 15, 10 (39; 45); 17, 2 (33); 18, 5 (15; 16).

c) ad. fam. VII 6, 1 (44—45; 49); 6, 2 (49); 7, 1 (47—48); 7, 1—2 (44—45; 48); 8, 1 (46; 47); 8, 2 (45; 49); 9, 1 (50; 52); 9, 1—2 (52); 17, 1 (49; 51; 52—53); 17, 3 (49).

d) Orat. pro Plan. 16, 40 (30); 34, 83 (29).

e) Verr. II 31 (29); III 59 (29).

f) Caes. bell. civ. II 28, 1 (30); bell. Afric. 52 (30).

g) Plut. Caes. 23 (16).

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.